ARIADNE RHETORUM MANUDUCENS AD ELOQUENTIAM ADOLESCENTES, EX IJS ERUTA...

Luigi Giuglaris, Antonio Briccio





BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
4 A
21



Tomás

Ad usum Franci-
ci Pudella Soc. JESU



ARIADNE RHETORUM

Manuducens ad eloquentiam Adolescentes,


Ex ijs eruta observationibus, quas circa praxim oratoriæ facultatis

Excepit olim in Collegio Taurin. Societ: JESU.

ANTONIUS BRITIUS
Theologus, & Sacerdos Braidensis.
A P. ALOYSIO JUGLARIS
ejusdem Societatis.

Permissu Superiorum

EBORÆ, Cum facultate Superiorum, ex Typographia Academiæ Anno Domini 1714.





CANDIDATIS ELOQUENTIÆ.

ANTONIUS BRITIUS Sal:

BOno vestro damus aliena, qui minùs possumus nostra. Complanatam ad eloquentiam viam qui quæsierit, ubi libellum hunc attentè percurrerit, invenisse se credet. Pompa in illo verborum nulla; observationum verò utilitas non exigua. Iudex idem estó, qui lector. Hanc donet auctor amantissimo discipulo veniam, ut ultro Typographus offerat, ab eo toties antea negatum opus. Prodi debuit, prodesse si potuit.

OB.

OBSERVATIONES


Ad enodandas difficultates, quæ Tyronibus oratoriæ faculta- tis occurrunt.

UTILITATEM hîc specto; non elegantiam præceptionum; mitto phaleras, & Prolegomena. Quæ ex Oratorum operibus potiùs, & longo scribendi usu, quàm ex Magisterio Rhetorum observaverim circa structuram orationis, paucis expediam. Qui prolixiora velit, & politiori stylo descripta, habet in manibus labores multorum.

OBSERVATIO I.

Circa Propositionem Orationis.

ORatio, præcipuum oratoris opus, nihil aliud est, quàm ordinata quædam verborum, sententiarúmque congeries ad unum



aliquid suadendum, vel dissuadendum. Plures habet partes, & alias quidem necessarias, sinè quibus oratio esse non possit, ùt est Propositio, & Confirmatio, alias integrantes, quæ faciunt ad perfectionem, ùt Exordium, Narratio, Peroratio. Narratio, & Confirmatio valent ad docendum, Exordium, & Peroratio magis faciunt ad commovendos animos.

Conditiones Propositionis assignátur: Prima, ut sit una; ex illius enim unitate desumitur unitas orationis. Secunda, ut extendatur ad totum id, quod in oratione tractatur, hoc est, ut in illam, tanquam in metam omnia argumenta collimens. Tertia, ut sit ità clara, ut non modò intelligatur, sed nec possit non intelligi. Aliæ conditiones, quæ afferuntur, sunt magis propriæ Demonstrativi. A Propositione pendere potissimùm arbitror captationem benevolentiæ. Illa enim solemnis formula: Rogo

vos,

vos, ut attentè audiatis: & puerilis est, & ridicula; Hinc

Observo primò duo esse Propositionum genera, ad quæ, vel si nolis, summopere attendit Auditor. Primum genus Propositionum, quæ ad commoda nostra redundant, ut sunt propositiones, quæ continent formationem morum, vel spectant ad Politicam, vel Oeconomicam: neque enim valde rogandus Mercator, cùm numerantur pecuniæ, ut attendat. Hinc videmus Concionatores eos potissimùm probari populis, qui moralia tractant, ùt loquitur vulgus. E contra verò non ità probantur ij, qui speculativa tantùm, & remota à vulgi cognitione disquirunt. Secundum genus Propositionum, quæ excitant attentionem, sunt illæ, quæ habent novitatem, & non ità tritæ sunt; ad hujusmodi enim arrigere aures solemus avidissimi sciendi mortales. De his observatione sequenti.

Moneo secundò, in concionibus curandum esse, quantum fieri potest, ut Propositio sit practica, vel si sit speculativa, & spectet ad cognitionem, faciat tamen ad concitandum affectum aliquem peculiarem, quem tanquam aculeum relinquat in Auditoris animo. Explodendi enim planè à sacris exedris ij oratores, qui Neroni persimiles cùm ardere urbem, atque adeò orbem ipsum videant, inanes, ac poeticas cantilenas interim promant; non attendentes, nec quid ab ijs Rhetorica exigat, nec quid Conscientia.

Moneo tertiò examinandas Propositiones concionum, attendendo, quàm bene cohæreant loco, tempori, personæ dicenti, & audientibus; ex hujus enim rei negligentia non minimùm plerumq; peccatur; in mundo enim vix aliquid est, quod absolutè sit bonum, atq; ità vix ulla est Propositio, quæ taceri non debeat, & ali-

quibus, & alicubi, & aliquando. Si enim probares coram Principe *Monarchiam* esse optimum administrationis genus, gratissimus accideres: non item, si hoc ipsum in libera civitate concludendum assumeres. De tempore item attendendum, an sit Pacis, an Belli, an exigat terrorem, an spem, & sic examinanda alia, quæ ad Oratorem, & Auditores spectant. Quare optimum est Oratori novo in aliqua urbe consulere peritiores, quænam & res & verba sint, quæ malè audiant ijs in locis.

Moneo ultimò, quoad Propositiones Concionum, nullam esse debere [si excipias Panegyricas] quæ non habeat obsequitantem sibi, & consectaneum affectum aliquem, & hoc est, quod in Ludovico Galiardo Concionatore Societatis nostræ tantopere admiratur Federicus Borromæus in lib. de claris sui temporis oratoribus.

OBSERVATIO II.

Circa Rationem dandi novitatem Propositionibus alioqui satis tritis.

ASserunt communiter Rhetores, Propositionis nullam dari inventionem, illam enim ferunt secum quodammodo causæ ipsæ; Tota igitur difficultas Propositionis erit in modo proponendi, qui ad hoc, ut attentionem concilier, debet habere vel utilitatem Auditoris annexam, vel novitatem, ut aut prosit, aut placeat.

Cavendum tamen, nè ex illecebra novitatis degeneremus in ineptias, & dum nimium studiosè venamur attentionem Auditorum, ex ostentationis suspicione eorundem benevolentiam amittamus: Ridiculi enim illi, qui proponunt Virginem fuisse majorem DEO, Sanctum Joseph toti supparem Trinitati, Tribulationem esse jucun-

jucundiorem Paradisi gloriâ: nam in his una cum novitate, quâ placent, est admixta temeritas, quâ non placent.

Quandoquidem igitur Oratoris, sacri præsertim, munus exigit, ut moralia tractet, & hæc tritissima sunt. Magna est difficultas in modo proponendi, quàm voluissem clariùs explanatam ab ijs, qui facultatem nostram pleniùs attigerunt. Non enim vidi hactenus traditam rationem, qua possit propositio Vulgaris, & Trita ità proponi, ut tanquam nova, & admirabilis debeat excipi ab Auditore cum plausu. Mihi si liceat, quid de tota hac re sentiam, paucis edicere: supponam primò varias esse qualitates Propositionum. Aliæ enim sunt in genere Actionis, & intendunt aliquid agendum ab auditoribus; aliæ in sola cognitione persistunt: aliæ sunt absolutæ, hoc est sine ulla comparatione, vel dubitatione, qua-

des sunt illæ, in quibus non sunt hujusmodi particulæ; Utrum, Si, An, Magis, Meliùs, aut aliud comparativum. Aliæ sunt propositiones Problematicæ; ut, an expediat, &c. Aliæ comparativæ ut: Utiliorem esse Reip. seditionem, quàm otium. Aliæ conditi natæ, ùt: Posito, quòd non peccâsset Adam, an fuerint futuri Principes. Aliæ universales; Aliæ particulares. His suppositis,

Dico primò Propositionem, quæ sit certissima apud omnes, reddi novam, si efferatur problematicè. Sit exemplum. Volo probare ambitionem perniciosissimam mundo esse. Hæc propositio acceptissima est apud omnes; ad illam tamen non ità attendit Auditor, ac si problematicè disquirendum proponas: Potioráne ab ambitione damna mundus acceperit, an verò commoda. Hic autem modus latissimum aperit Amplificationibus campum. Recreat etiam mi-

mirificè auditores pugna illa rationum, quæ afferuntur in utramque partem.

Dico secundò Propositionem absolutam novam aliquando fieri per comparationem. Sit exemplum. Mali aliquando utiles sunt virtuti. Nihil habet hæc Propositio dignum attentione. Fiat comparativa hoc pacto: Virtutem plura improbis debere, quàm probis: & illico admirabilis est. Tota autem admirabilitas provenit à comparatione. Cavendum autem, nè comparatio ista fiat, nisi cum rebus, de quibus magna sit opinio in eo genere, ita ut vix putet aliquis non solùm præferri, sed nè conferri quidem ea posse.

Dico tertiò propositionem novam fieri, si fiat mutatio de genere in genus. Explicabo me. Certum est, aliud esse vituperare, aliud laudare; si igitur ex intentione laudandi proponas velle te tantùm peccata da-

minare, fit transitus de genere in genus; Hac arte scripsi olim objurgationem encomiasticam, in qua maximas laudes vitiorum nomine ornavi in Oratore præstantissimo; Huc etiam spectat alia ars, quâ Panegyrim instituimus de his, quæ vix ulla ratione videantur posse laudari. Ut si quis maledicis Panegyrim polliceretur; transitus enim ille, ut minùs expectatus, ità etiam magis novus.

*D*ico quartò Propositionem novam fieri, si videatur ex contradictorijs conflata. Sit exemplum. Minùs dura mors est miseris, quàm felicibus. Fiet hæc admirabilis assumendo contradictoria hoc pacto. Felicitatis genus esse infelicem mori. Iisdem omnino argumentis probatur utraq; Propositio, & tamen secunda habet venustatem, quam non habet prima.

Dico quintò, Propositionem novam fieri reductam ad paradoxum, hoc est propositam per modum rei ab

opinione

opinione hominum valde remotæ. Sit exemplum. Vult probare aliquis hominem multorum sibi malorum auctorem esse. Fiet nova propositio, si dicat miserum esse neminem, nisi à se ipso. Quando propositio erit ità incredibilis, ad conciliandam majorem admirationem poterimus ad illam venire per exordium, quod explicet, quàm non immeritò videatur incredibilis assertio illa: ut si velis probare, Sacerdotem *DEI* ipsius Dominum esse; opportunum erit probare in exordio, ex rebus creatis nihil eò usquè crescere, ut se DEI eximat servituti. Sed hæc ex ijs, quæ de Propositionibus in exornativo subjiciam, clariora fient.

OBSERVATIO III.

Circa rationem variandi Propositionem.

IN genere judiciali diversitas causæ ità diversam efficit Propositio

sitionem, ut non egeat peculiari præcepto.

In Deliberativo verò ratio utilis, quæ comprehenditur in omni Propositione, variari potest, si hæc ratio Generica magìs specificetur: specificatur autem vel ratione subjectorum, in quibus est: & sic dicemus jejunium utile esse animæ & corpori; vel ratione temporum, & sic munitionem Urbis utilem esse rebus præsentibus, & futuris; vel ratione locorum, & sic eleemosynam non minùs in cœlo, quam in terris beare hominem; vel ratione ætatum, & sic studium senibus, juvenibúsque prodesse; vel ratione conditionum; & sic non minùs pauperes, quàm divites posse ab eloquentia habere præsidium; vel demum ratione statuum, & sic moderationem utilem esse rebus prosperis, & adversis. Quæ ratio dividendi notanda est diligenter: ex Aristotele enim amplificationum

omnis

omnium radix divisio est. Possumus etiam in hoc genere variare Propositiones alijs rationibus; fingendo, exempli gratiâ, electos nos esse ab æquitate, qui in tam bona causa patronos agamus, teneri nos ad Apologiam contra ea, quæ cum injuria veritatis objecerint alij, & his similia.

Quandoquidem verò, ut rectè monuit Aristoteles primo Rhetoricorum, ità plerumque permiscentur inter se tria genera causarum, ut una, & eadem Propositio habeat ex se, quòd sit judicialis; ab intentione Oratoris, quòd sit Deliberativa; & ex aliquo alio capite, quòd sit Demonstrativa: proinde non ità facile est, tradere unam aliquam rationem, quâ possint omnes variari; id enim pendet magìs propemodum à dicentis ingenio, quàm ab arte aliqua: subjicio tantùm nonnulla, quæ in Panegyricis summopere utilia sint.

OB-

OBSERVATIO IV.

Circa varias rationes variandi Propositiones in Exornativo.

PRæter rationes, quæ ex dictis colligi possunt, variari potest Propositio in exornativo primò eo ipso modo, quem diximus in Deliberativo, ostendendo ea, quæ consuleremus alteri, fuisse in eo, quem laudamus, & sic utilem fuisse illum rebus privatis, & publicis, paci, & bello, prosperis, & adversis, &c.

Secundò, reducendo statum illius ad Ideam, ut, si sit Episcopus, ostendendo in illo germanam Episcoporum Ideam; si Princeps, Principis, si Judex, Judicis: ad quod utile erit nôsse virtutes proprias uniuscujusq; vitæ generis, ut est Principis magnificentia, & magnanimitas, Episcopi Charitas in Deum, & proximos, religionis zelus, cura pauperum. Ridiculus enim esset, qui monacho virtu-

tes

tes tantùm proprias activæ vitæ applicaret, & Præsidi peritiem Musices, & Geometriæ.

Tertia ratio, reducendo ad unam aliquam virtutem omnes illius actiones, & ostendendo vel ex una, qualis fuerit in cæteris, Ità in S. Carolo, alij sapientiam, alij charitatem, alij demissionem animi singularem proposuerunt admirandam. Ad hoc genus potest reduci id, quod faciunt nonnulli, assumendo ex unius Sancti virtutibus unam duntaxat aliquam actionem, quam demum amplificent miris modis, quæ ratio nec rudem, nec jejunum exigit Oratorem. In hujusmodi ratione id potissimùm cautum velim, nè propterea, quòd uni duntaxat ejus virtuti, aut facinori inhæsisse videmur, idcirco non utamur etiam cæteris, quæ in eodem viro maxima sunt, licèt extra propositionem nostram posita. Ad ingenerandam enim maximam de illo opinionem in

in Autoribus opportunum censeo, illa etiam non omittere: quod potest fieri vel per concessionem, hoc ferme pacto. Scio alios admirari Demissionem illam animi, qua, &c. Constantiam, qua, &c. Fortitudinem, qua, &c. Ego tamen hoc potissimùm prædicandũ supra cætera censeo, &c. Vel per præteritionem, ut: Potuissem ego excurrere in illa egregia planè facinora, &c. Non me putetis, huic ideo inhæsisse, quasi non suppeterent ampliora. Consultò præterij hæc, & hæc, & hæc. Vel: Absorbent ista admirationem meam, vestram fortasse magìs illa, quibus adeò sibi demeruit, &c.

Quarta ratio, si proponamus de illo contradictoria, & dicamus, fuisse quempiam divitem mendicum, prodigum avarum, humilem superbum, pumilionem gigantem. Hinc monstra illa, quæ in viris sanctissimis tantopere celebrant permulti, ità audi-

vi proponentes; exceptósque cũ plauſu magnos Oratores.

Quinta ratio, ſi problematicè quæramus, utra in re magis excelluerit, ità enim facilè comprehendimus, quæcumq; de aliquo dici poſſint: ità de Beato Franciſco Borgia aliquando propoſui; magiſne ſejunctus à ſe fuerit, an cum DEO conjunctus; & hæc ratio nec inutilis, nec injucunda eſt.

Sexta, comparando illum aliis, qui apud homines maximo ſunt in pretio, quæ ratio indigna magnâ prudentiâ: ut enim bene D. Hier. de Sanctorum meritis periculoſum eſt diſputare; & omnis comparatio odioſa ſummopere eſt. Compararem ego potiùs ad normam aliquam actionum humanarum, & dicerem, aliquem fuiſſe ſecundùm cor DEI; ſanctiſſimos quoſque perfectiorem animam delineare ſuis neſcire præceptis. Hac ratione audivi ego magnum Oratorem, qui in Panegyri

S. Am-

S. Ambrosij totus fuit in eo, ut ostenderet ipsum fecisse, quæ docuit, conferendo ea, quæ egerat cum ijs, quæ unumquemque agere debere præscripserat.

Septima, erigendo cuipiam, ex gr. colossum, aut templum, aut imaginem delineando, aut coronam texendo, aut trophæum, & pyramidem statuendo, aut Apotheosin celebrando, & his similia; ità Marinus Poëta, utinam ità castus, ac ingeniosus, Mariæ Gallorum Reginæ templum planè elegantissimum posuit, & Carolo Allobrogum Duci imaginem, quam inscripsit ad Figinum pictorem; ut interim alios auctores omittam, qui visi sunt hujusmodi ratione plurimùm delectari.

Octava est per Propositionem metaphoricam, pro qua sit

OBSERVATIO V.

Circa propositiones metaphoricas in exornatione.

CON.

Contenduntur plerique Rhetores Propositionem Metaphoricam omnino damnare, tum quia magnam non ingeneret rei opinionem, de qua dicimus, tum quia similitudine illa, per totam orationem producta, videatur lædi varietas tantopere commendata. Ego non video, cur in has redigi angustias Oratorum ingenia debeant. Fateor quidem non cujuscunq; esse Propositionem Metaphoricam pro dignitate pertractare; qui enim vel minùs eruditi sunt, vel minùs ingeniosi, in ijs tam multa delirant, ut nec ullam de aliena virtute, nec de propria facultate per hujusmodi propositiones in Auditorum animis ingenerent opinionem.

Ut verò respondeam ad ea, quæ contra hujusmodi propositiones objici solent; *Moneo* primò ità eas exponendas, ut mitigetur metaphora, expliceturq; quodammodo sen-

ſus propriùs; ſi enim quis abſolutè proponat, ſprobaturum ſe S. Joannem Aquilam eſſe, videtur velle imponere Auditoribus ſuis; ſi autem ſubjiciat fuiſſe Aquilam, quæ lynceis oculis ipſam etiam Divinitatem attigerit, & ſe ſupra humanitatis tellurem attollens ſcrutata cælum, ejus ad nos arcana detulerit, & his ſimilia; hæc Metaphoræ mitigatio aſſumit Metaphoram illam tantùm, ut ejus beneficio elegantiùs explicentur, quæ in tanto viro præclariora ſunt. Moneo ſecundò cavendum diligenter, nè hujuſmodi Metaphoræ deſumantur à rebus ſordidis, vel ludicris, vel ità diſparatis, ac remotis, ut vix cum re propoſita habeant Analogiam. Quare advertendum diligenter, ut proprietates, quæ inſunt Metaphoræ, contineant ipſam quodammodo partitionem orationis.

Tertiò curandum, ut hujuſmodi Metaphoræ capaces ſint multiplicis eru-

eruditionis. In Panegyricis enim ad levandum faſtidium narrationis plerumque notiſſimæ Auditoribus, requiritur ingens ornamentorum copia: alioquin orationem ab Hiſtoria vix diſtingues.

Subjicio varias Metaphoras, quæ ad hoc utiles eſſe poſſint: deſumuntur aliæ à rebus cæleſtibus, à Sole, Luna, Cœlo, primo mobili, &c. A Sphæra Ignis, à tenuitate aeris, à Phœnice, ab Aquila, à Columba, à Monocodiata, ſeu Paradiſiaca ave; a Leonibus, ab Arboribus, &c. & alijs ſpectantibus ad ordinem naturæ. Ità Ignis de S. Ignatio, Nilus de D. Hieronymo, Sol de D. Thoma, Margarita de cognomine Virgine.

Poſſunt etiam deſumi à rebus ad artem, vel ad civilia, & artificioſa ſpectantibus, qualia ſunt commentarius de Syndone, monſtra de S. Juvenale, ſpectacula de S. Agnete, motus perpetuus de S. Franciſco Xaverio, & his ſimilia.

Ali-



Aliquando desumitur à peculiaribus professionibus, ut ità loquar; sic dicimus Philosophum Christianum, novum Geometram, &c. Aliquando à personis celeberrimis, ùt novum Herculem Gallicanum, novum Trismegistum, Achillem Italum, &c. Sed de singulis velle præcipere, non est aut hujus loci, aut temporis: hæc indicâsse sufficiat.

Occasione nuptiarum, fient Epithalamia: natalium, Genethliaca; victoriæ, Epinicia; funeris, Epicedia: tunc autem res ipsa ferat secum Propositionem suam. Quæ verò capita exigant hujusmodi peculiares orationes; indicabo paucis in fine hujus operis.

OBSERVATIO VI.

Circa dilatationem argumenti minùs ampli in genere exornativo.

NUllibi laxior aperitur cãpus magnis ingenijs, quã ubi angu

gustum est argumentum, ubi enim res non redundant, ex Oratoris penu supplenda omnia: observabo hìc ego nonnulla, quæ hujusmodi difficultates, si quando incidant, lenire plurimùm possint, & quidem cùm unus proponitur laudandus, in quo aliquid laude dignum non sit.

Adverto primò hìc potissimum locum amplificationis, si tamen, qui laudatur, non sit ità tenuis, ut molem Amplificationis sustinere non possit; tunc enim satiùs esset conqueri potiùs de ijs, qui in tanto viro neglexerint notare ea, quæ præclariora essent; vel ex ijs, quæ memoriæ prodita sunt per probabiles conjecturas eruere ea, quæ ab Historicis prætermissa. Hac arte usus sum ego aliquando coactus orationem scribere de SS quibusdam, de quibus id solum constaret posteris, quòd urbem à Gothorum obsidione defendissent. Proposui enim teneri cives, summa

religione venerari eos primo propter
decora, quæ suis moribus patriæ con-
tulissent; ubi questus sum de ijs, qui
res illorum accuratiùs non descripse-
rint. Secundò propter peculiare
beneficium liberatæ urbis, quod fu-
sius explicavi. Tertiò propter ea
etiam beneficia, quæ vel mortui non
cessarent conferre; enumerans enim
pestilentias, bella, terræmotus, quæ
alij pertulissent ijs temporibus, &
non ipsi, contendi, id ab ijs benefi-
cium agnoscendum. Quo modo au-
tem unumquodque facinus amplifi-
cari possit, ità ut per se ad unam inte-
gram orationem sufficiat, docebo in-
frà, cùm de Amplificatione in genere
exornativo.

Adverto secundò ita conjecturis
nos uti debere in hujusmodi orationi-
bus, ut Auditori nulla unquam pos-
sit esse suspicio, uti nos mendaciis;
ubi vera non suppetunt: neq; enim
qui docemus amplificare, docemus

men-

mentiri; sed tantùm cùm res plerumq; interpretari possimus in bonam, & in malam partem, & assumere illas in materiam laudis, vel vituperationis, intendimus tantùm docere, quo pacto id fieri citra vitium possit. Cujus rei gratià

Adverto tertiò, quòd cùm vitia omnia æquè opponantur virtutibus, ea tamen, quæ peccant in excessu potiùs, quàm in defectu, videntur habere majorem aliquam affinitatem cum virtute, ùt temeritas cum fortitudine, astutia cum prudentia, prodigalitas cum liberalitate. Proinde cavendum diligentissimè, nè ea, quæ fortasse vitiosa fuerunt, excusemus nomine virtutis, cum qua vitium illud nihil simile habeat; timiditatem enim bene interpretaberis Prudentiam, non item Fortitudinem: Versutiam vocabis Solertiam, non item veracitatem, & sic de cæteris.

Adverto quartò, quando laudandus

 dus

dus aliquis in oratione funebri, possumus excurrere in laudes avorum, filiorum, Patriæ, in qua natus, Principis, cui dicatus, & in alia hujusmodi, quæ supplere possint meritorum defectum: semper tamen eâ adhibitâ in hujusmodi laudibus temperantiâ, nè videamur de maximis, & de minimis eadem dicere. Idem prorsus cavendum in orationibus. quæ fiunt, vel cùm init aliquis Magistratum, vel cùm laureatur, & in alijs hujusmodi occasionibus, in quibus nihil æquè Oratori opitulatur, ac brevitas. Sed in his, ùt in alijs, usus longè plura docebit. Ego sanè si argumentum sit itâ tenue, ut dici de eo non nisi pauca, & tritissima possint, ùt in solemnitatibus quibusdam martyrum, de quibus vix aliud extat, quàm quòd pro Christo perierint, malim assumere argumentum magis genericum, ùt de veneratione Martyrum, de eorum apud Deum meritis,
de

de patrocinio, quo commissas sibi urbes fovent; & his similia, quàm redigere me in angustias argumenti maximè proprij, de quo nec magna possim dicere, nec nova. Velim tamen hujusmodi argumentum, quod assumitur, tale semper esse, ut loco, & tempori, & Auditorum expectationi aliqua ratione congruat; unde non probàrem eum, qui inter hujusmodi gaudia, vel de judicio dissereret, vel de morte.

OBSERVATIO VII.

Circa rationem pertractandi argumenta, quae amplissima sunt.

EGo, qui in ea sum sententia, quae ità ligát Oratorem in genere Demonstratiuo, ut teneatur ante omnia maximam ingenerare opinionem de virtute illius, qui laudatur, non facilè probaverim eos, qui in argumento amplissimo

mo toti sunt in unius duntaxat commendatione facinoris; licèt enim ex ungue leonem possimus describere, populus tamen exigit res illius, qui laudatur, sibi fusiùs explicari; quòd si cui in privata aliqua Academia, vel apud literatissimos, quibus res illius, qui laudatur, notissimæ sint, perorare contingat, tunc non improbarem hanc ipsam rationem amplificandi singularem aliquam actionem, ità tamen, ut cætera etiam, vel per comparationem, vel per concessionem in memoriam revocarentur. Ex. gr. Volo amplificare facinus illud Chrysostomi, cùm Eudoxiam Augustam ab Ecclesia prohibuit, possum dicere in exordio eloquentiæ tantæ prodigia, quæ tamen à tanta virtute superata sint, cùm præsertim Eudoxiæ, &c. Narranda res, prout accidit, perpendendæ difficultates, quæ deterrere Chrysostomum potuissent, conferenda res cum aliorum persimilibus ausis;

mox

mox & cum alijs ejusdem Chrysostomi, mox & per hujusmodi figuram excurrendum etiam in cætera omnia. Scio alios admirari in hoc Heroë tolerantiam illam, quâ, &c. animi magnitudinem, &c. charitatem, quâ, &c.

Circa hoc ipsum moneo, in hujusmodi argumentis ità amplis vix esse locum, si prolixitati consultum velis, amplificationibus peculiarium facinorum; si enim dicturus de S. Francisco Xaverio, exempli gratiâ, de quo dici tam multa possunt, velis expendere, & persequi singula, terrebis tanta mole miserum Auditorem, qui sciat egregijs tanti viri facinoribus non orationem solùm, sed integrum posse librum adimpleri. Dices, quo pacto igitur ex una parte possimus orationis modum non excedere, ex altera verò nullam ijs inferre injuriam, qui cùm nec parva, nec pauca fecerint, non nisi & maxima, & multa de se dici patiantur? Respondeo,

Amplificationem in hujusmodi orationibus non debere esse actionum singularum, sed virtutum; hæc enim amplificatio fit per enumerationes facinorum singularium, quæ in eo genere virtutis occurrunt, atque ità dicas, exempli gratiâ: Quis referat prodigia tantæ virtutis? Prodigia charitatis referent Veneti, apud quos, &c. referent Romani, quibus, &c. referent Lusitani inter quos, &c. Aliquando possumus redigere in unam seriem ea, quæ licèt non sint in eodem Virtutis genere, sunt tamen in eodem patrata loco, vel eodem tempore, vel in gratiam personarum earundem, ùt de S. Ignatio: Viderit illum Hispania vicatim, & viritim cibum emendicare, exuere omnem pristinæ dignitatis memoriam; inter infimas plebis minutæ quisquilias agere catechistam, &c. Viderit Gallia adducendis ad Christum adolescentibus intentissimum, &c. Viderit

Ro-

Roma, &c. Eodem tempore, ùt: In Manreſano ſeceſſu fatear illum quidem feciſſe hæc, & hæc, & hæc. Studiorum tempore ſanctimonialium ſaluti, cæterorúmque vacâſſe, &c. Vel in gratiam earundem perſonarum. Quis referat, quo ardore animi adoleſcentiæ bonis intenderet, quibus ſcholas, ſodalitia, &c. quis cogitet artes, quibus in vitiorum veterno ſopitos excitare conatus ſit, quibus, &c. Non me fuſiùs explico conſulens brevitati. Hic ſanè amplificandi modus cùm paucis multa dicat, & ea, quæ ſunt maximè propria illius, qui laudatur, optimus eſt, & ad ingenerandam opinionem maximè factus. Deinde etiam multa, quæ per ſe nullum haberent pondus, alijs conjuncta, numero, cùm mole minùs poſſint, pugnare non deſinent: & hæc ſunt, quæ de Propoſitione obſervanda cen-ſui.

OBSERVATIO VIII.

Circa inventionem, & dispositionem argumentorum.

CONstituta Propositione, investiganda sunt argumenta, quibus eam probare possimus. Loca autem, unde hæc erui debeant, habes apud Tullium, Quintilianum, & alios. Hîc autem indicabo tantùm rudem aliquam praxim, quæ esse possit ad manum; perfecta enim argumentationum cognitio ad Logicos magis spectat; poterit autem hæc esse hujusmodi.

In genere exornativo Propositio ipsa, cùm secum afferat suam divisionem, exhibet etiam primâ facie argumenta, quibus confirmetur Propositio: quod suppono satis patere ex ijs, quæ de Propositione jam dixi. In hoc autem genere argumenta alia non sunt, quàm ea ipsa, quæ gessit is, qui laudatur.

In genere etiam Judiciali causa ipsa, & ejus circunstantiæ secum afferunt suas probationes. Circunstantiæ autem omnes, aut certè potiores comprehenduntur hoc versu. *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.* *Quis* spectat personam, *Quid* rei magnitudinem, *Ubi* locum, *Quibus auxilijs* præsidia ad rem ipsam, *Cur* fines, *Quomodo* modum ipsum, *Quando* Circunstantias temporis.

In genere verò Deliberativo, nec non in Demonstrativo, in Propositionibus, quæ spectant seu cognitionem, seu actionem [quandoquidem quidquid proponimus, vel suademus, vel dissuademus, vel accusamus, vel defendimus, vel laudamus, vel vituperamus] notandum in primis est, in quali genere sit Propositio. Si enim per eam suademus aliquid; inveniemus argumenta, attendendo bona, quæ ex illo proveniunt, & mala

quæ per illud evitantur: è contra verò si dissuademus, asserenda bona, quæ ex illo impediuntur, & mala, quæ ex illo creantur. Dices adhuc esse difficile invenire bona ista, seu mala. Respondeo id facile reddi, si attendatur diligenter, quod mox dicam, & est principium ex quo latissimam habere possumus viam ad quancumque amplificationem.

Bonum, & malum vix in se cognoscitur ab hominibus: à fructibus, vel affectibus eorum uniuscujusque nequitiam, vel probitatem agnoscimus. Diversitas autem horum affectuum potest distingui, vel penès varia tempora, vel penes diversa subjecta, vel penès diversa opposita. Exemplo rem clariùs explicabo

Sit propositio *Jejunium adolescentibus esse perutile.* Quandoquidem suademus jejunium, patet ex dictis, vestigandabona, quæ proveniunt ex jejunio, & mala, quæ non proveniunt.

Bona ut agnoscas, compara jejunium ad partes hominis, nimirum ad corpus, & animam, & jam habebis divisionem argumentorum; quæcunq; enim enumeres bona, vel corporis bona, vel animi erunt. Subdivide jam animam in suas potentias, & habebis jejunium juvare memoriam, intelligentiam acuere, perficere voluntatem. Veniamus ad corpus, & attende, corpori quid sit utile, Sanitas, Pulchritudo, Robur, Agilitas, &c. & habebis plura argumenta ex bonis jejunij.

Ex malis item, quæ jejunij beneficio non incurruntur, duces argumenta, si afferas mala, quæ ex crapula, & ebrietate proveniunt. Hæc verò mala ut agnoscas, debes attendere, quænam opponantur multiplici hominis bono; bona autem hominis ex Aristotele primo Rhetor. cap. de Felicitate, vel sunt naturalia, ut in animo Memoria, Ingenium, Scientiæ,

entiæ, Artes, Habitus virtutum, &c. In Corpore, ùt Venustas, Sanitas, Ætas florens, Robur, Agilitas, Facundia, &c. Alia bona sunt à Fortuna: Divitiæ, Nobilitas, Dignitates, Amicitiæ, & alia hujusmodi, quibus totidem mala opponuntur, Divitiis Paupertas, Amicitiis Inimicitiæ, Nobilitati Ignobilitas, & sic de cæteris. Alia dona sunt supernaturalia: ùt Propheriæ, Dona linguarum, & sanitatum, Habitus Fidei, Spei, Charitatis, &c.

Penes varia tempora possunt etiam distingui mala, & bona; & sic dicere aliquid malum, vel bonum esse rebus præsentibus, & futuris, juventuti, & senio. Item penes diversas conditiones, ætates, mores, ùt jam suprà explicavi. Possumus hæc ipsa distinguere penes diversa opposita. Ut si peccatum malum dicamus ex eo, quòd opponatur DEO, & rectæ rationi, legibus tam divinis, quàm hu-

humanis. Sed, ut hæc omnia clarius explicentur, propono quandam veluti Analysim totius orationis in hoc schemate.

Propositio.	Divisio.	Confirmatio.
Jejunandum. Adolescentibus.	Quia jejunium utile: Animo.	Ingenium acuit. Memoriam defæcat. Perficit voluntatem.
	Corpori.	Valetudinem tuetur. Agilitatem, ac robur servat; Laboribus aptissimum reddit. Virtutis usibus aptat, &c.

Ubi vides Anatomiam veluti totius orationis, & quemadmodū quidquid de jejunio dici poſſit, reducatur ad pauca illa capita. Omnia enim Apophthegmata, Adagia, Exempla præclara ad illorum aliquod commodè reduces, ſicut & mala, quæ per jejunium vitantur, ad aliquod ex his capitibus reduci poterunt: ſi enim mala animi ſunt, vel ingenio, vel voluntati, vel memoriæ officiunt; & ſic ad tria illa priora capita pertinebunt: ſi verò ad corpus, ùt morbi, pertinebunt ad ſecundam partem: quod enim valetudinem tuetur, id efficit impediendo morbos, nè veniant, vel curando, ſi venerint: ex quibus facilè quis in aliam quamlibet materiam poteſt hanc praxim transferre.

Non ſolùm autem ab effectibus agnoſcimus bona, & mala, ſed & ab antecedentibus, concomitantibus, & conſequentibus, à teſtimoniis divinis, & humanis: ſed de his non intendo

hîc

hîc fusiùs disputare: & hæc quoad inventionem argumentorum rudi Minerva dictâsse sufficiat. Progrediar jam ad indicandam commodam aliquam rationem, quâ parare possimus sylvam rerum, & eruditionum, nè inepti verborum consarcinatores magis, quàm Oratores videamur, in erudito præsertim seculo, cui non quacunq; re satisfacias. Pro hoc sit

OBSERVATIO IX.

Unde, & quomodo paranda sylva rerum?

QUæ spectant ad verba, & elocutionis delicias, sive ad argutias, dicam infrà in Observationibus circa elocutionem: quandoquidem autem multi toti sunt in exaggeranda necessitate rerum, quas vocant; quo pacto harum sylvam parare possimus, paucis tradendum est.

Ea, quibus indigemus ad ornandam, & roborandam orationem, vel sunt

sunt testimonia divina; in quibus non solùm colloco ea, quæ Deus ipse per se, sed, quæ per sanctos etiam viros edixit: vel humana; & hæc vel à vulgo, ùt sunt adagia, vel à sapientibus, vel à magnatibus, ùt Apophthegmata:

Præterea, ut similitudines lepidas possimus habere, necessaria est cognitio Proprietatum, vel Animalium, vel Insularum, vel Montium, vel Lacuum, vel Fontium, vel Fluminum, Gemmarum, Herbarum, &c.

Historia verò, & mores gentium ad multa possunt inservire, sicut & Poëtarum fabulæ, & Apologi Sapientum; Emblemata item, & alia hujusmodi: quod cùm apprimè sciant, plerique solent corradere ex libris, quidquid invenerint, & ab ineunte ætate assuescunt palimpsestis, qui labor, non disputo, quàm sit utilis, ego quidem fateor optimorum lectione librorum nihil opportunius Oratori. Ad ju-

van-

vandam item memoriam non negarim plurimùm prodesse, si scribas, quæ legeris: nostra tamen ætate, in qua tanta est optimorum librorum copia cum indicibus rerum, & verborum copiosissimis, tradam paucis rationem, quâ illi etiam, qui minùs attriverint libros, possint quàm eruditi videri. Quod me assequi posse confido, si in unoquoq; eruditionum genere indicarim auctores, quos adeas: contra palimpsestos enim, quos dixi, id potissimum est: quòd, qui semel mala collegerint, vix demum curant alia perquirere: amantur enim illa ex odio laboris veriùs, quàm quòd per seipsa probanda sint: collecta enim ùt plurimùm in rudioribus annis, quando erat minùs acre judicium, & ingenium minùs defæcatum.

Quæres hac occasione, probandane magis lectio Neotericorum, an Antiquorum? Respondeo, in ea me esse sententia, ut neutros arbitrer ne-

li-

gligendos; habent enim & novi laudes suas, quas & imitari, & assequi gloriosum sit. Si de auctoribus tamen loquamur, & non de rapsodis, & collectoribus, censeo omnino præferendam antiquorum lectionem, imò vix arbitror quenquam aut latinæ locutionis, aut peritioris artis posse naturam pernoscere, qui secùs faciat: ridiculus enim es, si quempiam Tullij stylum putes meliùs expressisse, quàm expresserit ipsemet Tullius. Ubi novus aliquis auctor ab antiqui lectione didicit unam, aut alteram rem, cur tu, illò fortasse ingeniosior, ab ea ipsa lectione longè plures non eruas? Deinde hæc omnium brevissima est ad omnem eruditionem via; ut quid enim rivos quærere, ubi ipsos potes fontes commodè adire? Sed, his omissis, in instituto progredior. Pro testimonijs Divinis ex sacris Biblijs habes ad manus: concordantias Bibliorum, flores

item

item, & opus Antonij Basinghen, qui digessit totam scripturam in quosdam veluti locos communes, sunt & alij plurimi auctores è nostra Societate Scripturæ interpretes, quos potes consulere.

Testimonia PP. potes petere ab eorum indicibus, præsertim etiam ab indice Bibliothecæ PP., qui amplissimus est. Earum etiam præclara quæque collegit in tomos aliquot, & in suos locos digessit magna cum laude è Dominicana familia Lop.

Proverbia sacra habes á Martino del Rio collecta, à Novarino item in suis Adagialibus sacris. Profana collegit in chiliadas vir damnatæ memoriæ, quæ nunc expurgata Manutij nomen gerunt; sicut & Apophthegmata sapientum, in quibus præclara sunt, ità tamen, ut de illis etiam dici possit, quod de suis carminibus Martialis. Sunt bona, sunt mala, sunt etiam mediocria quædam.

Quod

Quoad Historias sacras consule Baronium, & Spondanum in Indicibus; Salianum verò in his, quæ spectant ad veterem legem. Est & Nicephorus, & alij Ecclesiastici; sed horum ferme omnia habet Baronius. Sunt item utiles exemplorum libri, præsertim verò Catechismi historialis Antonij Dauroltij: eruditissimus item in rebus Sacris est Franciscus Arias, Ludovicus Cresolius in Mystagogo, & in Anthologia, Ludovicus Cerda in Adversarijs Sacris, & in Tertullianum, Nigronius in Asceticis, Novarinus in Electis, Sacrísque Schediasmatis, Causinus in Symbolis, ut omittam cæteros.

Quoad profanas Historias habet præter auctores Sabellicum, Bonfinium, Contarinum, officinam Textoris, & præsertim Theatrum vitæ humanæ, cujus qui calleat usum, vix alijs collectoribus indigebit; difficilior autem hic est propter indices

non

non ità clarè dispositos: editio tamen postrema, utpote ad Polyantheæ normam redacta, longè commodior est. Moneo tamen, nè nimium fidas libris hujusmodi: multa enim habent, non ità consentientia veritati, & quæ fidem nullam mereantur, nisi proferantur auctores.

Mores gentium habes apud Alexandrum ab Alexandro, apud Cælium Rhodiginum, & alios recentiores omni eruditione dotatos. Proprietates gemmarum, herbarum, plantarum, locorum, metallorum, fontium, fluminum, petes ex Plinio, Majolo, Athenæo, Olao magno, & alijs Historicis de rebus Indicis, & novi Orbis.

Proprietates animalium collegit priùs vir damnatæ memoriæ, deinde verò longè copiosiùs Ulysses Aldrovandus Bononiensis, cujus in libris omnis ferme eruditio est.

Fabulas Poetarum habes apud Ovi-

vidium, & copiosiùs apud Natalem Comitem in Mythologia, & apud Hyginum in centum Fabulis, apud Boccatium in Genealogia Deorum, apud Lilium Gregorium Giraldum in dialogis, & syntagmatibus, Apologos apud Æsopum, & alios; Emblemata apud Alciatum; Hieroglyphica apud Pierium; Symbola, & Epicheremata apud Aresium, Ruscelium, Jovium, & Jacobum Tipozium, qui omnes Principum Impresias in suas classes distinxit. Cavendum tamen, nè ita fidamus hisce libris, ut negligamus auctores legere; ex quibus decerpta sunt: non enim potest satis eruditus videri [ùt pauló antè monui] qui ipsos non adierit fontes eruditionum. Placita Philosophorum si velis, consules Aristotelem, Platonem, Photinum, &c.

Dispositis igitur argumentis eo ferme modo, quo dixi; colliges ex auctoribus, quæ duces necessaria esse

ad

ad orationem, & notabis in una classe; quæ faciunt ad unum argumentum: in alia, quæ ad aliud.

Quæres, an satiùs sit colligere sylvam, antequam constituatur Propositio, an verò secùs. Respondeo commodius esse, communiter loquendo, servare eam rationem, quam hactenus tradidi; licèt aliquando etiam possit accidere, & accidat de facto, ut quis non antè rectè possit orationem suam, & propositionem constituere, & disponere, quam viderit, quid in illo genere dici possit. Et hæc quoad sylvam.

OBSERVATIO X.

Circa dispositionem argumentorum.

AD supradicta adjicio, quòd ad parandam sylvam non oportet solùm in librorum indicibus quærere titulos rerum, de quibus agimus, sed etiam illarum synonyma;

nyma; affinia, & contraria; ùt : si sit Propositio de jejunio: quæres jejunij titulum, & synonyma ejus abstinentia, sobrietas, inedia, & affinia, ùt frugalitas, temperantia; deinde etiam poteris quærere non solùm ejus directè contraria, ùt gulositas, &c. sed affinia etiam, & synonyma earundem, ebrietas, edacitas, intemperantia, convivia, &c: Deinde non solùm quæremus rem in specie, sed etiam in suo genere, & sic dicturus de jejunio consules etiam ejus genus, quod est vel pœnitentia, vel temperantia, vel severitas vitæ, sed de his satis.

Quoad partitiones utile erit argumenta partiri in quasdam classes: hoc enim juvat mirificè ad memoriam tum Oratoris, tum Auditoris: hanc autem divisionem non semper propalam collocandam existimo, sed tunc tantùm, cùm duo, vel ad summum tria capita non excedit. Cavendum

vendum aurem, nè, si propalam collocetur, ità insistamus in primo capite, ut terreatur Auditor, quod tantundem nos immoraturos in cæteris suspicetur. Quare tunc, vel non erit proponendum, ità ut propalam collocetur partitio, vel alia commoda ratione huic tædio consulendum: & in universum in toto orationis cursu cavendum est, nè ità fiant transitiones, vel divisiones, ut suspicari possit Auditor se usq; ad fastidium detinendum.

Divisiones istæ aliquando habentur vel ab ipso subjecto Propositionis, vel ab ejus proprietatibus, vel à diversitate locorum, ætatum, personarum, temporum, ùt potes advertere ex observationibus circa varios proponendi modos.

Circa ordinem & dispositionem argumentorum hæc notanda occurrunt.

Primò, cùm est aliquod argumentum

tum, ex cujus explicatione cætera commodius intelligantur, primò loco ponendum est.

Secundò, in prima fronte, cavendum, ne leve aliquod collocemus; cum enim post propositionem attentissimus sit Auditor; nisi grave audiat argumentum, de tota causa bene sperare non potest.

Tertiò, quæ per se robur vix habent, non numeranda, sed conglobanda, vel per præteritionis, & concessionis figuram, vel alio modo; sæpe enim in exercitu ubi virtus deficit, numerus prodest.

Quartò, quod affectus capacissimum est, rectè servatur ad extremum: in fine enim infigendus aculeus auditori, & cum eo dimittendus: & universaliter, quia lacrymâ nîl citiùs arescit, & in affectibus, violentis præsertim, & vehementibus diu immorari nec possumus, nec debemus, eos rectè in finem usq; differimus:

in quo peccant plerumq; concionatores, qui cùm in media concione vehementius incenderint auditores, exstinguunt deinde frigida aliqua peroratione, quidquid ardoris excitaverant in initiis. Id potissimùm apparet in concione de Passione, in qua audivi plerumque nonnullos, quidquid affectûs excitari poterat, ità in exordio consumpsisse, ut demùm in progressu orationis non minùs aresc-cerent ipsi, quàm cæteri.

Denique quia de omnibus præcipere minùs possumus; cavendum semper, ut ità disponamus argumenta, ut non solùm unum post aliud, sed etiam unum ex alio dici videatur: scrutari proinde oportebit, quæ argumenta affinitatem habeant, ut connectere faciliùs illa possimus; quod mirum est, quàm juvet ad transitiones. Cavendum etiam, ut itâ disponantur, ut semper crescat oratio, & semper plus aliquid, & majus dicere

 vide-

videamur, quod quidem est omninò religiosè servandum.

OBSERVATIO XI.
Circa modum dilatandi Propositiones in Amplificatione.

HActenus explicavi rationem inveniendi Propositiones, quas voco Logicas ex eo, quòd careant ornamento, & dilatatione, quam Logica accipit à Rhetorica. Nunc venio ad rem omnium difficillimam, videlicet ad praxim, qua hujusmodi Propositiones per Amplificationem oratoriam dilatamus.

Et quia non omnis solùm oratio, sed omnis etiam Amplificatio reducitur ad unam aliquam Logicam Propositionem; imò verò omnis etiam Periodus: proinde primò quidem de modo dilatandi illas in Amplificatione, deinde de modo dilatan-

di

di easdem in Periodo, quæ observaverim, proponam. Hoc autem ità proprium Rhetoricæ arbitror, ut has ejus potissimas partes existimem: cum enim à dialectica habeamus Propositiones, quibus fidem faciamus; non video, quæ alia supersit difficultas, si dilatationem, quæ unica deesse videtur, tradendam à Rhetocica hauriamus.

Dico igitur primò omnem propositionem, cujus subjectum, & prædicatum est totum divisibile in aliquas partes, posse dilatari per Inductionem: Sit exemplum. Vita hominis est plena miserijs: hoc totum, quod est vita hominis, subjectum hujus propositionis, dilatari potest, si dividatur in ætates, quibus vita hominis constat; & sic dices: Infantia, Adolescentia, Ætas robustior, & Senectus sunt plenæ miserijs: ergo tota vita hominis est plena miserijs.

Potest hæc ipsa, quæ dilatata est

 ex-

ex divisione subjecti, dilatari adhuc longè diversa ratione per divisionem prædicari, quod idem est aliquod totum divisibile in suas partes: miseriæ enim aliæ sunt corporis, aliæ animæ, aliæ à nobis ipsis, aliæ à fortuna, aliæ à natura, aliæ ab adversarijs: ex quibus satis patere arbitror, quàm latum hæc praxis campum aperiat Amplificationibus.

Dico secundò, per descriptionem dilatari Propositiones aliquas, quarũ subjectum est quasi aliquid habens rationem singularitatis, & non universalitatis. Sit exemplum: Nihil calamitosius urbe ab hostibus direpta. Amplificabitur hæc Propositio describendo ipsam direptionem una aliqua ratione ex ijs, quas tradam, cùm de varijs describendi modis.

Dico tertiò dilatari Propositiones aliquas per exempla conglobata. Fiat hæc propositio. Tyranni raro venena, & gladios vitant. Dilatabitur exem-

exemplis Cæsaris, Neronis, Phalaridis, Diomedis, &c.

Dico quartò posse item per similitudines explicatas. Sit exemplum; Quandiu homo non fuit in periculis, pavidus est. Explicentur hæ comparationes, seu similitudines: quandiu miles sanguinem non fudit in bello; quandiu nauta multiplici in tempestate non gemuit; quandiu adolescens multiplici ægritudine non laboravit; vel ipsas periculorum suspiciones formidat. Illæ autem tres similitudines quomodo dilatari possint in Periodis, patebit infrà. Ad hanc ipsam rationem reduxerim aliam huic satis affinem, & est, cùm per sensus synonymos dilatamus: quæ meliùs explicabitur observatione sequenti.

Dico quintò alias posse dilatari à Testimonijs, ab auctoritate divina, & humana, quod planum est.

Dico sextò alias à comparatione

majorum, minorum, vel parium, ut Sanctus Ludovicus Rex eos, quos Barbarus ad se occidendum miserat, dimisit cum præmijs; compara cum severissimis ultionibus, quas in hujusmodi occasione de perduellibus Reges alii sumere consueverunt.

Dico septimò, alias ab Effectuum, & Adjunctorum, & Concomitantium enumeratione; Ut: Peccatum est maximum malum; ex eo enim, & perditur animus, & occiditur corpus, & leges ruunt, &c. quæ ratio satis patet ex dictis suprà.

Dico octavo, à definitionibus etiam conglobatis posse dilatari propositiones; ut: Sol est rerum omnium pulcherrimus, mundi oculus, lucis vehiculum, auriga diei, &c. hæc tamen ratio putidis plùs placet, quàm par sit; habet tamen ipsa etiam suam laudem, si fiat cum mica salis.

Sed ut paucis comprehendam omnia;

mnia: : Dico ultimò tot esse rationes dilatandi aliquam Propositionem, quot sunt loci communes apud Rhetores, quos videbis in Cypriano, Tullio, & aliis. Cæterùm etsi propositio aliqua postulet uno modo, alia alio dilatari, poterit tamen una aliqua dilatari omnibus. Sit exemplum illa ipsa, quam per inductionem docuimus amplificari posse, duplici modo: Vita hominis est plena miserijs; dilatabitur item per descriptionem, describendo vitam ipsam, quàm sit onerosa, quàm difficilis: item per exempla afferendo illos, qui mortem prævenerunt ob impatientiam vitæ, ùt Silij Italici, Catonis, Porciæ. Item per similitudines, ùt: Nautæ in tempestate, volucris in cavea captivæ, &c.

Item per synonyma, ùt: Militiam hanc nostram non alia agnoscere stipendia, quàm laborum; terram nobis, infelicibus colonis, spinas dun-

taxat germinare. Item per auctoritates Sapientum, vel per comparationem, aut aliorum animalium, aut cum conditione Angelorum, & statûs innocentiæ. Item per effectuum enumerationem, recensendo mœrores, dolores, timores, tædia, quæ ex vita proveniunt. Item à conglobatis definitionibus, vitam hanc esse sepulchrum animæ, exilium hominis, improbitatis provinciam. Ex quibus vides, ad quam redigamus facilitatem id, in quo omnis penè scribendi difficultas est posita.

OBSERVATIO XII.

Circa rationem dilatandi Propositiones in Periodo.

INtendo tradere hoc loco rationem, quâ datâ, quælibet Propositio Logica possit oratoriè in periodo dilatari: quod quàm non solùm utile, sed necessarium etiam sit in arte nostra, nemo non videt: & primò

primò quidem dilatari possunt Propositiones in Periodo iisdem ferme rationibus, quibus & dilatantur in Amplificatione: placet tamen adhuc rem totam clarius explicare.

Omnis Propositio, cùm pluribus constet terminis, certè dilatari non potest; nisi per dilatationem eorum ipsorum terminorum, quibus constat; alioqui enim non una dilataretur Propositio, sed plures coacervarentur. Exemplo res clarior fiet: sit explicanda in Periodo hæc Propositio: *Sol oriens omnia lætificat*. Dilatabitur primò terminus, *Sol*, qui utique, cùm sit aliquid singulare, dilatari per descriptionem, non per inductionem debet. Dilatabitur secundò terminus, *Oriens*, per circunstantias ortûs; tertiò terminus, *Omnia*, per Inductionem, & enumerationem eorum, quæ lætificantur à Sole; quartò terminus, *Lætificat*, recensendo varios hujus lætitiæ modos,

dos in varijs subjectis, in animantibus, in arboribus, in floribus, &c. uq; ità fieri Periodus poterit in hunc ferme sensum. Prodit e tenebrarum gremio luminum Pater, atque ubi prævijs auroræ facibus accenderit desiderium sui, fœnerata per noctem syderibus lumina repetens, erumpit in scenam; cùm illico redire animam mundo, animantibus motum, inanimis venustatem, desiccari in herbarum oculis conceptas ejusdem absentia lacrymas, erigi depressa papavera, ostentare se rosas, diloricare se conchas, conceptásque divitias authori suo fidere, linquere latebras animalia mitiora, cucurrire gallos, trinsare hirundines, plausitare palumbes, pipire passeres; lusciniam verò, sirenem illam sylvarum, conceptum nocturno silentio genethliacum promere, producto in longum spiritu rhetorum ementiri periodos, intentâ voce dicere graviter, submis-

sa

ſa leniter, inflexâ miſerabiliter, omnia perire cum Sole, omnia videas cum Sole renaſci. Ubi vides terminum quidem, *Omnia*, hujus propoſitionis potuiſſe etiam fuſiùs dilatari. Aliqua igitur Propoſitio dilatabitur dilatatione ſubjecti, alia prædicati, alia termini copulantis, vel alterius, qui ingrediatur ejus conſtitutionem.

Secundò poteſt dilatari Periodus per ſenſus ſynonymos: qui modus eſt ſententijs mirificè natus. Sit hæc Propoſitio: Præceptores plerique ſibi perniciem educant in diſcipulis; Ecce quo pacto per ſenſus ſynonymos metaphoricos dilatetur. Lactamus ipſi ſæpè catulos miſeræ matres, qui noſtra nos poſt ubera paſcant; rigamus aſſiduo ſudore cicutam, quæ mox in culmos adulta nos perimat; & in incudibus noſtris acuimus ſæpe gladium, quo cadamus. Eodem modo poteſt dilatari iſta: Hominis vita miſera,

miscra est; per metaphoras peregrinationis, exilij, captivitatis, procellæ, militiæ, &c.

Tertiò dilatatur aliqua Propositio descendendo ad singularia, eo modo, quo solemus in descriptionibus, ùt si sit hæc Propositio: Trojani juvenes ante bellum jactabant victoriam; præsente verò belli periculo, demum in desperationem adacti. Dilata vocem, *belli*, per singularia belli constitutiva; ùt sunt irruptiones, arietationes, scalarum admotiones, &c. Vocem, *Iactabant*, dilata, etiam veniendo ad singularia jactantiæ signa, ùt injuriæ in absentes, armorum nitor, vexillorum inanis ventilatio, &c. Sed in ipsa Periodo, quam exhibeo, res hæc tota clarior fiet. Trojani juvenes, quandiu in armis Græcia tota non stetit, quandiu muros nullus quassavit aries, quandiu obsessis non insultavit Achilles, videri poterant Orgia expectare, non bella.

la. Omni perstrepebant in angulo tubæ, nutabant in foro quocunque vexilla, radiabant ubique aurei leones in cono; gemmis maculatæ tigres in clypeo; studium omne nitorem gladijs addere, terrorem galeis; novo schemate absentes vocare, exprobrare moras, timorem objicere; designabantur in convivijs eruptiones, insidiæ describebantur in mappis, crateres, & cyathi turres erant; panis, & obsonia legiones dispositæ. Tot habebat Priamus Hectores, quos Troja cives; crederes totam Bistonum, Thracúmque ferociam in Asiaticos descendisse: adeò nemo erat, qui sibi centum Ajaces non posceret, centum Pyrrhos. Ubi verò erigi viderunt scalas ad mœnia, dirigi balistas ad fores, resonare acclamationibus aërem, ex impetu trepidare tellurem, assurgere in testudinem Dolopes, constipari ad irruptionem Argivos; inventi sunt nè Mitheco quidem

dem sufficere, qui Agamemnonem deposcebant; apparuit in sua quisq; persona: larvam fortitudinis ignaviæ detraxit occasio. Tunc primùm agnitus Hector est, cùm non jam verbis probaretur fortitudo, sed factis. Omitto multa, quæ addi poterant. In universum dico idipsum, quod aliàs sæpe monui, divisionem totam esse cujuscunque dilatationis orationem: hæc autem Periodorum extensio continuari solet ùt plurimùm per voces subsequentes, Qui, Non solùm, Adeò ut, Præterquam quòd, Si, Donec: ùt observanti facilè innotescet. Atqui brevitatis studium me aliò vocat.

OBSERVATIO XIII.

Circa exordia.

Constituta Propositione, dispositis argumentis, sylvâ paratâ, veniemus ad exordium, de quo præcipiunt communiter Rhetores.

res, planium esse debere, ac verecundum, quod indicet reverentiam erga auditores, & liberalem, ac ingenuum pudorem, debere item oratorem in eo reddere auditorem docilem, benevolum, & attentum. Docilis redditur per Propositionem, quàm continet; Benevolus per reverentiam, de qua dixi; Attentus per novitatem Propositionis, de qua item superiùs. Monent communiter Rhetores exordium post cætera omnia componendum. Id ego explico in ordine intentionis; primùm enim scire debes, quò ire velis, antequam viam, quæ illuc deducat, inquiras: cæterùm in ordine executionis satiùs duco incipere ab exordio; tunc enim meliùs connectuntur cæteræ partes.

Statutâ igitur Propositione, ut, unde possis exordium eruere scias, hujusmodi uti artibus poteris. Primò in Propositionibus metaphoricis, in exornativo fermè semper deducitur

com-

commodè exordium ab explicatione proprietatum rei, unde metaphora ducitur. Ità de Sancta Agnete à spectaculis, de S. Hieronymo à Nilo, de S. Francisco Xaverio a difficultate motûs perpetui, & sic de cæteris; & hoc genus eruditissimum esse solet. Secundò in solemnitatibus celeberrimis, in quibus in Auditoribus supponitur aliquis affectus in summo, ùt lætitiæ in die Paschatis, Natalis Domini, Pentecostes, &c. vel doloris, ùt in Parasceve; vel in funebri aliqua oratione, occasione mortis personæ cujuspiam populis acceptissimæ; commoda sunt exordia, quæ quidam quasi impetu, & quasi ex improviso efferuntur, in quibus inferentes argutias, & affectus, explicemus ipsa mysteria, vel jacturæ magnitudinem lamentemur. Tertiò aliquando exordium est major Propositio minoris; per quam constituitur Propositio confirmationis: Sit exemplum:

plum: Nihil majoris est apud Deum meriti, quàm pauperum cura. Deduci exordium poterit, amplificando majorem hujus Propositionis, quæ est: actu charitatis nihil esse gratius DEO; sed cura pauperum inter actus charitatis est præcipuus, ergò cura pauperum nihil gratius DEO. Quartó ab occasione orationis. Occasio autem est, vel ex parte ipsius argumenti comparati ad personam, quæ dicit; ad locum, ubi dicit; ad eos, apud quos dicit; à tempore, quo dicit; à materia, de qua dicit; vel ab aliquo alio hujusmodi capite: & hæc reor esse exordia, quæ bene deducta dicuntur à visceribus causæ: cùm enim habeant plurimam cum illa connexionem, non sunt tamen argumenta confirmationis, quæ voluisse in exordijs delibare, contra leges exordiorum omnino est. Sunt item hæc exordia maximè propria, utpote quæ alijs materijs non facilè possin



sint accommodari. Rem fusiùs exemplo non explico, memor illius Horatij axiomatis: Quidquid præcipias, esto brevis. Quintò: cùm Propositio continet aliquod paradoxum remotissimum ab opinione vulgi, opportunum erit exordium, si in eo explicemus, quàm non immeritò videatur incredibilis illa Propositio; ex Philosopho enim opposita juxta se posita magìs elucescunt: ut; volo probare sacerdotes ipsiusmet DEI Dominos esse; ostendam in exordio, ex rebus creatis vix ullam posse eò usque crescere, ut non sit ei summa dignitas DEO famulari, adhuc tamen velle te ostendere, &c. Sextò quando supponimus in Auditoribus aliquod præjudicium, ratione cujus suspicari possimus, nè nos minùs benevolè audiant; fiet exordium per solutionem hujusmodi præjudiciorum, proponendo causas, quæ nos retrahere debuissent ab oratione, & ità solvendo

solvendo illas, ut nullus supersit scrupulus, qui demum currentem detineat. Ità Marcus Tullius divinatione in Verrem, ubi in exordio causas attulit; cur, qui semper alios defendisset, tunc primùm ad Verrem accusandum ultro descenderet: Et in hoc tamen, & in antecedenti exordiorum genere ità proponenda illa præjudicia, ut videamur, illa vidisse nos quidem, contempsisse tamen; quòd in contrarium plura suppeterent argumenta. Septimò: ad ornanda exordia ità, ut ampliora sint, juvat quàm maximè à Propositione particulari, quam constitueris, retrocedere ad universalem, ità ut ab hac in illam venias. Sit exemplum: ad hoc, ut venias ad probandam hanc Propositionem; Deteriórne sit discentis conditio, an docentis; poteris incipere à Propositione universali, unicuique videlicet sortem suam gravissimam videri; & hanc ubi amplificaveris

caveris, per inductionem; dices hinc ortam esse occasionem dissidij inter praeceptores, atque discipulos, cujus solvendi gratiâ problema illud instituis. Quod ipsum etiam juvat in quocunque genere Amplificationum. Octavò introductione uti possumus in exornativo: cavendum tantùm, nè illa sumatur à rebus ità disparatis, ut vix ullo demum glutino connecti cum re proposita possit: probare enim non possum eorum consuetudinem, qui semper ordiuntur à rebus, ex quibus cùm divinare non possit auditor Propositionem, torquetur mirificè suspicione tam longa.

Propositio exordij dilatatur eadem planè praxi, quâ caeterae omnes; stylo solùm differt, qui nec concitatissimus, nec ità vehemens esse debet. Propositionem autem exordij voco illam, ad quam reducuntur, quae dicuntur in exordio, sicut Propositionem

nem orationis dicimus illá, ad quam, tanquam ad metam tota collimat oratio: ut enim patere potest ex ijs, quæ dixi antecedenti observatione, inest singulis, etiam periodis, sicut & amplificationibus sua Propositio Logica.

Varia esse debebunt exordia, nè similitudo officiat attentioni. Cavendum etiam, nè nimis in longum excurrant, sed magnitudini orationis respondeant; nè parvo corpori gigantum videamur caput affigere. De stylo exordiorum dicam infrâ.

OBSERVATIO XIV:

Circa varias narrandi Formas.

NArrationes sunt rerum expositiones. De ijs communiter præcipiunt Rhetores, ut sint Breves, Dilucidæ, Probabiles. Breves, ut retineri possint; Dilucidæ, ut possint intelligi; Probabiles, ut

debeant credi. Sed narrationum non unum est genus.

Aliæ enim narrationes sunt, quæ in genere exornativo coincidunt cum Amplificatione, & Probationibus, de quibus infrà: in modo enim narrandi possumus nonnihil deprimere per charientismum, & per auxesim erigere, quem laudamus. De stylo narrationum infrà.

Aliæ narrationes sunt tragicæ hoc est seriæ, & graves; & hæ exprimendæ majestate quadam, & cavendum, nè minima quæq; afferamus in medium. Harum exempla habes passim apud Senecam in Tragœdijs; præsertim ubi nuncij ferum aliquid narrant, & execrabile.

Aliæ sunt narrationes comicæ, & lepidæ, quæ faciunt ad excitandum risum; & hæ exprimũtur per frequentes formulas plebejas, seu adagia; in ijs autem id, quod cachinnos potissimùm excitat, notavi esse singularia

singularia quædam, quæ rem mirificè exprimunt, & proponunt quodammodo ante oculos, & ità sensibiles sunt, ut Phantasiam, maximè moveant. In hoc genere sunt multa apud Lucianum, & Juvenalem; præsertim Satyrâ tertiâ: ubi hæc lepidissima habet de Paupertate.

Me, quem Luna solet deducere, vel
breve lumen
Candelæ, cujus dispenso, & tempero
filum,
Contemnit. Miseræ cognosce proœmia
rixæ.
Sirixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo
tantùm.
Stat contrà, starîque jubet, parere ne-
cesse est.
Nam quid agas, cū te furiosus cogat,
& idem
Fortior? unde venis, exclamat, cujus
aceto,
Cujus Conche tumes? quis tecum sectile
porrum,

Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem.

Et paulò pòst libertas pauperis hæc est:

Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus indè reverti.

Ubi vides, quidquid est lepidum, esse vel proverbium petitum ex trivijs, vel singularitatem, quam dixi aliquam, ùt sunt, illi calces, illæ rogationes, ut liceat paucis cum dentibus indè reverti: porrum cum sutore divisum, &c. si enim dicas hæc ipsa in genere, ut: cum artifice cœnásti, pauper rogat, ut dimittatur, sed indè verberatur atrociùs, &c. nihil habent lepôris illius pristini, quia universalia minùs movent, quàm singularia, quæ notare magìs solemus.

Cavendum est in omnibus narrationibus,

tionibus, quæ faciunt ad aliquem affectum excitandum, ùt misericordiæ, iræ, indignationis, &c. ut descendamus ad quædam singularia, quæ moveant sensum in ordine ad illum effectum; non autem in ordine ad alium: ità si narres discessum amici ab amico, afferenda ultima verba, oscula, amplexus, extremum vale sæpius iteratum, munuscula, &c.

Siquid autem eâ occasione lepidū accidit; non proferendum, nè officiat affectui, quem intendebamus. In hoc tamen periculum est, nè incidamus in vitium eorum, qui in rebus narrandis minima quæq; usq; ad Auditoris nauseam prosequuntur.

OBSERVATIO XV.

Circa varios describendi modos.

DEscriptiones, quibus tantopere delectatur ætas hæc nostra, non unam omnes praxim admittunt.

Notavi ego in auctoribus alias fieri à negatione, & affirmatione, hoc est, dicendo ea, quæ non sunt in re, quam describimus; & ea, quæ eidem insunt. Sit describenda, exempli gratiâ, ætas aurea; dices prius in ea non fuisse tot scelera, tot supplicia, tot bella, tot incommoda, quæ sunt in ferrea; sed in ea fuisse innocentiam, pacem, otium, rerum affluentiam, &c. Ità Ovidius primo Metamorphoseon eam discribit.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sinè lege fidem, rectùmque colebat.
Pœna, metusque aberant, nec vincla minantia collo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sinè Iudice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,

Montibus

Montibus in liquidas pinus descende-
rat undas:
Nullaque mortales præter sua litto-
ra norant.
Nondum præcipites cingebant oppida
fossæ:
Non tuba directi, nō æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat: sinè militis
usu,
Mollia securæ peragebāt otia gentes.

Hæc à negatione: ab affirmatione verò multa subjicit, ut sunt illa:

Ver erat æternum, placidique tepenti-
bus auris
Mulcebant Zephyri natos sinè semine
flores.
Mox etiam fruges tellus inarata fe-
rebat,
Nec renovatus ager gravidis canebat
aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina Ne-
ctaris ibant,
Flavàq; de viridi stillabant ilice mel-
la.

Similem praxim invenies apud Poetas in descriptionibus Veris, Æstatis, Autumni, Hyemis, diei, noctis, aurorae, famis, pestilentiae, belli, procellae: de quibus potes illos consulere.

Quaeres praxim, quâ facilè invenias in rebus ea, quae ad negationem faciunt, & ea, quae ad affirmationem? Respondeo, hanc mihi videri facilem, si dividamus rem, de qua agimus in suas partes; ùt si sit describenda ferrea aetas, in qua mundus deterior est, quàm aliàs fuerit, discurres per omnes mundi partes; & invenies, quae in ijs fuerunt, & jam non sunt: & sic in Caelo invenies fuisse olim benigna sydera, innocentem Phoebum, influxus salutares: nunc indè pestilentias, indè grandines: in terrâ fuisse ubertatem in campis, amoenitatem in hortis, lenitatem in feris, salubritatem in herbis, foecunditatem in plantis, nunc è contrà, &c. In Mari fuisse

æternam malatiam, nunc verò tempestates; in aëre musicas aves, &c. & hæc quoad mundum Physicum. Quòd si gradum facias ad moralem, invenies fuisse concordiam in familijs, religionem in templis, veritatem in verbis, nunc verò, &c. Ità si velis describere ver, vel aliam tempestatem, attende quos effectus in unaquaque mundi parte producat; & in singulis demum partibus, quid in unaquaque ex ijs, quæ illius partis propriæ sunt, ùt terræ in herbis, in vallibus, in montibus, in sylvis, in feris, & sic de aqua. Ità si sit describenda procella, nota quos effectus in cælo, quos in mari, quos in navi, quos in nautis. Hæc ratio in praxi satìs facilis, & satìs elegans est, & à Poëtis satis frequentata.

Possunt secundò quædam describi, sequendo ductum sensuum, hoc est explicando ea, quæ audiuntur, quæ videntur, quæ tanguntur: quæ ratio

ad hoc ut uberem materiam subministret, oportet etiam recurrere ad eas divisiones, quas dixi paulò antè; ut si sit describenda urbs ab hostibus direpta, attendes priùs ea, quæ videntur in mœnibus, in vijs, in templis, in foro, in officinis, in hominibus, in domibus; deinde ibis per ea, quæ audiuntur à victoribus, à victis, à morientibus, à captivis, à pueris, à matribus. Hac ratione potest describi infernus, gloria paradisi, & his similia.

Tertiò describuntur aliquando per singulas partes: sic describitur pulchritudo, vel deformitas hominis, urbis, regionis, &c. Ità etiam describitur mortuus, iratus, timidus, vel aliquo alio affectu perturbatus. Describuntur enim oculi, cervix, comæ, motus, voces, &c. & hæc ratio satis etiam est communis.

Quartò describuntur nonnulla à definitionibus conglobatis, ut cum de-

describturus hominis ingenium dico: Non illud quidem de Promothei furto, sed de Providentiæ dono in opacitate nostra abditum lumen, perfectioris animalis imperfecta divinitas, vitæ præsidium, armamentarium rationis, &c. quæ descriptiones cùm ùt plurimùm fiant per metaphoras conglobatas, cùm de ijs infrà agemus, clariùs innotescent.

Quintò potest fieri aliqua descriptio eundo per singula, quæ ad rem describendam interveniunt, & explicando ea, quæ uniuscujusq; se habent ex parte: ùt si sit describenda tempestas, attende breviter, quid interveniat ad tempestatem; & videbis intervenire cælum, ex cujus parte nubes, grandines, fulgura, tonitrua; Mare, ex cujus parte fluctus, spumæ, sonitus, &c. Venti, à quibus jactationes, fractiones mali, &c. Nautæ, ex parte quorum vota, metus, labores, lacrymæ, ejectamenta, merci-

um,&c. ità describi poteſt horror extremi judicij,& alia multa.

In univerſum pro deſcriptionibus oportet, ut, quantum fieri poteſt, imbibamus primùm ipſi rem totam, ità ut nos eidem intereſſe fingamus: tunc enim facilè rem ante oculos proponemus; ità ut non tam audiri, quàm ſpectari videatur. In ijs autem licèt veniendum ad ſingularia, quæ ea ſunt, ùt dixi, quæ maximè movent phantaſiam; cavendum tamen, nè minima quæque ſectemur. Cavendum etiam, nè nimiùm prolixæ ſint, & nimiùm frequentes; ſuper omnia autem, nè extra rem illas afferamus; putidi enim eſt, occaſionem deſcriptiunculæ ex argumento quocunque captare: cui pro inde poſſis dicere, quod ille inepto Pictori: *& tu fortaſſe cupreſſum ſcis ſimulare.*

Deſcriptiones oratoriæ graves eſſe debent,& non mimicæ; mirum enim

eſt,

est, quantum ijs lædantur sapientes, & quàm facilè inde arguant levitatem dicentis. Ad illas igitur non veniendum apparatu illo, quo solent multi, præmonendo instare præclarũ aliquid: sæpe enim non tam descripsisse, quàm voluisse describere dici possunt; & in universum in oratoria facultate nullũ gravius vitium, quàm eorum, qui ornamentis, quæ magis artem produnt, passim utuntur. Rhetorica enim est ars quidem, sed imitatrix perfectæ naturæ.

Quod dixi de affirmatione, & negatione, potest esse utile etiam ad alias praxes, quas attuli; una autem, & eadem res hisce modis omnibus poterit plerumque describi. Sed in his etiam, ut in alijs multis, usus te plura docebit.

OBSERVATIO XVI.

Circa Amplificationes in exornativo.

DE Amplificatione Propositionum quarumcunque, & earum dilatatione jam dixi; hìc loquor tantùm de ratione amplificandi facinus aliquod egregium in genere exornativo. Circa quod moneo primò magnitudinem alicujus rei duplici posse ratione cognosci, & explicari. Primò secundùm esse, quod habet in se. Secundò per ordinem, quem habet ad alia, ad quæ comparata dicitur æqualis, major, minor, &c. quæ explicaret Philosophus per distinctionem status absoluti, & relativi. Ex quo infero primò posse amplificari facinus aliquod, prosequendo ea, quæ illi insunt secundùm considerationes illas Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilijs Cur, Quomodo, Quando. Sit Exemplum: Volo amplificare virtutem eorum, qui, relictâ Europâ, ad Indos Evangelij causâ peregrinantur; investigabo circumstantias omnes hujus itine-

itineris, & perpendam singula, personas assuetas deliciis, charas omnibus, summo loco genitas relinquere, nullo adigente, nulla suadente cupiditate, nullo præsente præmio, Europam, regionem omnium optimam, cultissimam, charissimam, & in ea relinquere amicos, consanguineos, patriam, usum rerum charissimarum, &c. Abire per mille Ponti discrimina intolerabilia, tum propter diuturnitatem, tum propter multiplicitatem malorum, ut vivant demum cum barbaris, in ignota regione, in efferata, in misera, inter scopulos, inter solitudines, &c. Ubi vides, considerationem locorum omnium, quæ interveniunt ad hoc iter, ut sunt Terminus à quo, Terminus ad quem, medium item, & personæ transeuntes, & ejus conditiones formare egregiam Amplificationem absque ulla comparatione.

Juvat autem in hoc cognoscere,

quid in unaquaque re considerari, vel ponderari potest. In persona consideratur primò animus, & in hoc ingeniũ, Memoria, Voluntas, & in his artes, scientiæ, dotes, virtutes. Secundò corpus, in quo vires, venustas, agilitas, mechanicæ artes, &c. vide Aristotelem lib. 1. Rhet. cap. de Felicitate. Tertiò conditio, & in hac Nobilitas, Amicitiæ, Dignitates, Honores, Spes, Ætas, Institutio, & his similia. In loco consideratur Amœnitas, & sterilitas, & alia hujusmodi, in fluminibus, in montibus, in sylvis, in hortis, in vineis, in plantis, in vallibus, &c. Secundò capacitas, vel angustia. In artibus considerantur auctores, professores, discipuli, materia, forma, effectus, causæ, adjuncta, finis, honores accepti, &c. Sed esset res infiniti laboris, omnia persequi. Cœperam ego aliquando praxim quandam Amplificationis oratoriæ, in qua in omni rerum genere afferebam exem-

plum

plum Amplificationis: ut, in genere artium encomium Rhetorices, in genere Urbium encomium Romæ, & sic de cæteris. At aliò avocatus destiti ab incepto.

De Amplificatione absoluta, ut ità loquar, hæc observâsse sufficiat. Ad comparativam venio. Comparatio cum minori non fit, nisì ad excusandum, vel ad extorquendum præmium, ut siquis diceret: ijs, qui dederint poculum aquæ frigidæ, vult Deus Cælum dare, quantò magìs ijs, qui pro eo se totos impenderint, dando sudorem, & sanguinem. Comparatio cum pari non fit, nisì cum ijs, quæ maximo sunt in pretio apud omnes; quibus maxima laus est fuisse parem; cùm vix aliquem sit invenire majorem. Ut persistam in exemplo proposito, eam ipsam illorum virtutem, qui ad Indos Evangelij causâ discedunt, possum conferre cum itineribus D. Pauli, & Apostolorum,

cum

cum laboribus Ascetarum in Monasterijs, & Eremis, cum exilijs Martyrum, &c. hæc enim omnia in genere virtutis sunt veluti ultimæ metæ, tam ingenti habentur in pretio.

Ut verò rem aliquam ità comparemus alteri, ut eidem prælatam velimus, oportet primò rem illam maximo apud homines in pretio esse. Cæterùm enim quæ laus levissimo cuiq; præivisse? Secundò oportet in eo, quod præferimus, ostendere totum illud esse, quod miramur in alio, & demum aliquid etiam longè majus: quod notavit Aristoteles cap. de majori, & minori bono; ex quo necesse est seligere regulas, per quas res quælibet possit aliâ major quodammodo fieri. In eo enim capite est tota radix Amplificationis; adeò, ut ipsemet Aristoteles, acturus demum in libris sequentibus de Amplificatione, dimiserit lectorē suum ad illud ipsum caput de majori, & minori; quod, si

erit

erit otium, in quædam quasi axiomata digeram.

Est & alius Amplificandi modus, & sanè peregregius, quem vocant à Loco Communi: explicabo me clariùs. Volo amplificare illud Beati Francisci Borgiæ, cùm in regia Aula adolescens munitus Cilicio accederet ad Choreas, à Loco Communi ab Adolescentum petulantia, & propensione ad flagitia amplificabitur opportunè hoc factum in hunc ferme sensum. Scio ab Adolescentibus Ambrosium non exegisse aliud, quàm ut, &c. August. contentum fuisse, si, &c. Cyprianum, quàm, &c. Scio ætatem hanc ità esse rebellem virtuti, ut, &c. Ità efferatam, &c. Et hoc ferme pacto, quandoquidem eadem est augendi, & minuendi ratio, à Loco Cōmuni de Adolescentibus, Cælij crimē minuit M. Tullius; ùt videre potes in oratione pro eodē. Hi autē Loci Communes dilatantur eo modo,

quo Propositiones, de quibus suprà: Ego sanè audivi exceptos cum plausu nonnullos, qui in exornativo locis hisce opportunè uterentur: cùm enim in Panegyricis argumenta omnia sint penè 'narrationes facinorum illius, qui laudatur; nè tædium afferat similitudo illa rerum, commodum est inserere hujusmodi Amplificationem, quæ cùm tota sit ex eruditione multiplici, mirum quàm exornet, & hilaret orationem universam.

Sunt & aliæ Amplificationes à contrarijs, ab adjunctis, &c. Sed hæ ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, satis patere possunt. Consule auctores.

OBSERVATIO XVII.

De Peroratione.

PEroratio Argumentationis, quam diximus orationem esse, conclusio est, & in ea potissimum debemus per concitationem affectuum finem totius orationis adipisci;

pisci;

piscit: quod quidem fieri poterit hoc ferme pacto, Probatâ Propositione confirmationis, assumemus illius antecedentis consequentiam, & faciemus ex hac antecedens Perorationis; quod Antecedens probabitur per Anacephalæosim, & ex hoc Antecedente concludemus orationem per concitationem illius affectûs, quem intendebamus. Exemplum rem totam clariùs explicabit. Erat Propositio orationis, jejunandum, quia jejunium utile animo, & corpori: probata fuerat in confirmatione hæc Propositio his ferme rationibus, & argumentis. Jejunium memoriam juvat, intelligentiam acuit, perficit voluntatem, corporis verò pulchritudinem, valetudinem, & robur tuetur: ergo jejunium utile animo, & corpori: quæ est conclusio confirmationis. Ut igitur fiat Peroratio, assume pro antecedente Anacephalæosim omnium illorum argumentorum

hoc

hoc pacto. Jejunium memoriam juvat, intelligentiam acuit, &c. ergò quâ excusatione possimus jejunium recusare? Itáne igitur rem ità utilem negligemus? &c.

Circa Anacephalæosim cavendum primò, nè ullum argumentum de novo in illâ dicatur, quod antea non fuerit in confirmatione probatum; vel enim illud, quod de novo adjungitur, gratìs esset dicendum, & rejiceretur, vel certè non sinè suspicione admitteretur ab Auditore; vel demum si de integro tractaretur, Peroratio in Confirmatione degeneraret.

Cavendum secundò, ut ità fiat repetitio ista argumentorum, ut multa appareant, nec solùm magna cohors, sed ingens exercitus videantur: quæ enim singula profuerunt, multò magìs conjuncta, & conferta valebunt.

Cavendum tertiò, nè sit recta & simplex repetitio dictarum rerum: ut

ut enim bene monuit Quintilianus, nihil odiosius recta Repetitione. Est autem recta repetitio; cùm simplici quadam ratione dicimus nos dixisse hæc, & hæc, & hæc. læditur enim Auditor, cujus memoriæ minùs fidere videamur. Curandum igitur erit, ut vehementiori aliquâ figurâ, quæ & novitatem habeat, & majestatem; quales sunt Ironiæ, exclamationes, interrogationes vehementissimæ, Apostrophæ, &c. argumenta resumamus. Quoniam verò proprius affectuum locus est Peroratio, pro ea fit Observatio sequens.

OBSERVATIO XVIII.

Axiomata quædam circa affectus.

NOn est hîc animus instituere tractationem de affectibus; pro ijs enim sufficit habere ad manum secundum Rhetoricorum Aristotelis, qui totus ad hanc rem scriptus

ptus est; notabo tantum nonnulla circa affectus.

Prima regula est, ut imbibamus primùm ipsi affectum illum, quem volumus in aliis imprimere: si enim vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent, multis enim plerumque dicere possemus illud Tullij, Næ tu si ità sentires, non ità frigidè loquereris: si enim dicentis animus imbiberit affectionem illam, redundabit profectò in vocem, in gestum, in figuras, &c. & hoc utinam rectè intelligerent Oratores sacri, qui ad populum dicunt.

Secunda regula est. Affectus non tam insanis conclamationibus, quàm veris argumentis excitari; animus enim rationibus, non vociferationibus oppugnandus est. Verum quidem est in Oratoribus, præsertim sacris, valere sæpe plurimùm ad motum, cùm ità dicunt, ut jam non ex arte, sed ex œstro dicere videantur; à rati

à ratione tamen decori nunquam absolvitur Orator. Tragœdias autem, quas multi faciunt, afferendo ossa mortuorum, larvas, & alia hujusmodi, vel implicando funibus collum, non negârim apud hominum vulgus sæpe prodesse; ùt plurimum tamen, vel cùm deberent potissimùm lacrymas elicere, cachinnos, vel ab invitis, extorquent. Vide quæ de his Rhetores.

Tertia; ea, quæ excitant affectus, non debent esse dubia, sed ità clara, ut de illis jam dubitari non possit; proinde affectus servandi in fine, ubi jam omnia clarissimè probata sunt, & intellectus convictus rationibus, neque enim voluntas, in qua potissimùm sunt affectus, sinè prævio intellectûs lumine moveri potest.

Quarta: non omnia, quæ clara sunt intellectui, nata sunt ad movendos affectus, sed illa tantùm, quæ magìs sensibus, & oculis præsertim

 exposita

exposita sunt: quæ enim videntur, magis movent phantasiam, & per consequens etiam magis intellectum, atque indè voluntatem. Hinc est, quòd Tragœdiæ magis movent, si videantur, quam si legantur: & ratio est, quia habitus illi, scenæ, &c. magis proponunt rem ante oculos, & decipiunt quodammodo phantasiam, ità ut jam non illud poësim reputet, sed historiam, & credat, tunc primùm fieri, quod multò antè factum est; hinc etiam est, quòd, qui phantasiam vehementissimam habent, cùm magis res apprehendant, magis etiam commoveantur, & sic gemant plerumque legendo historias, & tragœdias. Quare si terrere velis, exempli gratiâ, adolescentes à templorum irreverentia, si dices eos exuendos Dei gratiâ, & deformandos fœditate peccati, licèt hæc mala gravissima sint, quia tamen minùs sunt sensibilia, minùs movebunt, quàm si dicas;

dicas; Avolabit Deus ex illo Altari, solo æquabit hæc templa, & dabit stabulum fieri jumentis, aufugient Sacerdotes, & excutient pulverem è pedibus.

Quoniam verò, quæ præsentia sunt, magis movent, quàm quæ futura, proinde ad concitandos affectus describantur res quasi præsentes: ùt in hoc ipso exemplo certè vehementior erit motus, si dicas: Excutite pulverem è pedibus Sacerdotes, colligite sacra illa Lipsana, auferte Sacramenta vobiscum, cruces illas, & candelabra colligite; quæramus Religioni populum, qui majori eam studio colat, ac veneretur.

Breves esse debemus in affectibus propter rationes, de quibus suprà; lacrymâ enim nîl citiùs arescit, & nullum violentum perpetuum. Cùm autem dico proprium affectuum locum esse Perorationem, non intendo prohibere, nè aliquis in cursu orationis

nis identidem excitetur; sed moneo tantùm, nè id fiat ex professo. Cùm sumus in affectibus, abstinendum est alijs delicijs, & ornamentis, quæ venustate sua distrahunt intellectum, nè jam attendat ad ea, quæ inculcantur; quare tunc metaphoris non utendum, nisì ijs, quæ actuosissimæ sunt, & proponunt maximè rem ante oculos. Ornatus autem tunc maximè esse debebit ex figuris vehementibus, & ex alijs, quæ pertinent ad genus dicendi summũ; de quo infrà.

Demum cavendum diligenter, nè, cùm excitare volumus unum affectum, dicamus aliquid, quod excitare contrarium possit, vel disparatum, in quo peccant, qui agentes de terrore divini judicij, & de operibus justitiæ DEI, digrediuntur ad commendandam ejusdem commiserationem, hoc enim secundum, quia spem excitat, destruit primum, quod intendebat timorem. Denique ars affe-

ctuum

ctuum major est, quàm vulgus Oratorum credit, & pauci sunt, qui non destruant sæpe vel acumine aliquo, vel ineptiâ, & eruditione recondita, & amœna, quidquid affectuum in Auditoribus excitârunt.

OBSERVATIO XIX.

De numero oratorio.

NUmerus oratorius non tam ex strigosa illa pedum observatione, quam tradunt Rhetores, præsertim Cyprianus lib. 3., quá ex assidua Oratorum lectione, Tullij præsertim, comparatur; fit enim ex hac, ut sensim sinè sensu assuescamur harmoniæ, & rotunditati periodorú; ita ut deinceps, vel cùm non advertimus, adhuc numerosè dicamus.

Pro numero servando moneo primò crebriores synalæphas, & elisiones vocalium vitandas esse; ut: *Vulturnia aëre Jonio educata*; ubi vides, quàm lædat aures illa elisio a, e, i, o.

Secundò vitandus concursus duplicium, vel plurium consonantium, qui asperat etiam Periodum; ùt: *Rex Xerxes exercitum exercens ad bella:* quod vitium satis patet. Remedium erit, permiscere verba, ità ut grammaticum ordinem jam non retineant. Voco ordinem grammaticum, cùm Nominativus est ante verbum, Accusativus post illud, epithetum post substantivum, & alia hujusmodi, mirum enim est, quàm serviat hæc praxis non solum ad numerum, sed etiam ad elegantiam periodi. Sit exemplum: *Prodit luminum Pater è gremio tenebrarum, atque ubi accenderit desiderium sui facibus prævijs Auroræ, repetens lumina fœnerata per noctem syderibus erumpit in scenam.* Vides, quàm elumbata sit oratio. Inverte ordinem grammaticum, & videbis quàm elegantior appareat, etiamsi non immutata sint verba: sed tantùm illorum ordo. *Prodit è tenebrarum*

brarum gremio luminum Pater, atque ubi prævijs Auroræ facibus accenderit desiderium sui: fœnerata per noctem syderibus lumina repetens erumpit in scenam, &c. & hoc servandum diligenter.

In exordijs oportet accuratiùs tornare periodum; quæ tamen, cavendum, nè semper iisdem pedibus desinant, sed aliquando diverso. Dactyli, & hujusmodi pedes, qui nimiùm præcipitant, utpote ex brevibus, non sunt ità nati concludendæ Periodo: in his tamen non ità religiosos esse oportet, ut nunquam ità etiam concludamus: varietati enim in omnibus consulendum.

Cavenda carmina in Periodo, nè in cantionem degeneret oratio, & de gravitate sua nonnihil amittat.

Cavendum etiam, nè numeri caussâ quæramus perisologias, & Periphrases, & videamur ultrà, quàm oportet, luxûs Asiatici amatores, in

quo decipiuntur permulti, qui verba communia negligentes, tunc se aliquid dicere arbitrantur, cùm, quod uno dici verbo potuerat, integra clausula complectuntur. Et hæc circa ea, quæ ad dispositionem, & inventionem spectant, paucis monuisse sufficiat.

OBSERVATIO XX.

Circa tria genera dicendi.

De actione non habeo, quid moneam, ultra illa, quæ eruditissimé tradit Voëllus noster, Cyprianus, Quintilianus, & alij Rhetores; nihil item de pronunciatione, & memoria: quare ad elocutionem, quæ omnium difficillima pars est, libenter digredior, cùm hæc præsertim supra cæteras practica sit. Circa illam afferam primò observationes, quæ faciunt ad locupletandam elocutionem; ità ut unam, & eandem rem pluribus modis ex

plicare

plicare possimus. Secundò ea, quæ illam eruditam efficiunt.

Tertiò quæ acutam; ubi de argutijs.

Hisce omnibus præmittam axiomata quædam de stylo, & tribus generibus dicendi, atque ità satisfaciam pro modulo meo hujus operis instituto.

Distinguunt communiter Rhetores tria genera dicendi, Imum, Medium, Summum; Imum genus est, quod imitatur consuetudinem familiariter loquendi, & planum est, ut in epistolis, & narrationibus: non habet figuras vehementes, nec ornamenta nimiùm exquisita, eximitur vinculis numeri periodici, licèt habeat etiam suam harmoniam; munditiam solùm, & puritatem sermonis requirit.

Medium genus uberius est, aliquantóque robustius. Admittit sententiarum lumina, metaphoras, & alia, quæ faciunt ad ornatum magìs,

quàm ad vim: & hic est stylus prolusionum.

Summum genus lacertosum est, & militare; frequens in contentionibus, & amplificationibus, & affectuum præsertim graviorum concitationibus. Habet exclamationes, & interrogationes vehementes, obsecrationes, communicationes, & alia hujusmodi: dissolutè item dicit sinè particulis, & commissuris communioribus. Hoc genus Perorationibus serviet, & Amplificationibus.

Exordij stylus erit in secundo genere, & in eo tornabimus accuratiùs periodos; inductiones erunt elegantissimæ, sinè ulla tamen contentione; sententiæ moderatæ; magìs enim propriæ sunt rei jam probatæ per confirmationem, & locum habent potissimùm in fine probationis alicujus argumenti, vel in rebus ità claris, ut vix probatione indigeant; cùm lumine naturæ notæ sint.

In

In narrationibus, quæ non ſunt in Judiciali [in hoc enim genere planæ, & ſinè phaleris eſſe debent] oportet, inquam, in narrationibus reflectere ad Hiſtorias, ad Fabulas, & alia hujuſmodi; item comprehendere multa paucis; ad quod inſervit maximè contrapoſitum, & adjunctio, quæ fit, cùm ex uno verbo plura reguntur. Dicam clariùs: ſtylus narrationum rerum, quæ notiſſimæ ſunt, affinis eſſe debet ſtylo elogiorum. Si autem ignotæ res ſint, cùm arguriæ plerumque fundentur in Hiſtoria, non poſſunt intelligi, ſi illa obſcura ſit, vel non ità nota. Affero exemplum. Volo narrare Valentis Cæſaris caſum, qui ex bono cive factus eſt peſſimus imperator; ecce quàm lepidè id fiat per argutias, & contrapoſita. *Dedidicit in palatio, quod diu didicerat in exilio: in illius abiit mores, cujus vocaretur in ſortem, præceps properavit ad ima vitiorum; cùm viſus eſt*

ad summum honorum apicem conscendisse. Credas exuisse probitatem, cùm purpuram indueret: ibi cœpit esse deterior, ubi melior esse debuerat, & factus ex innocenti reo perditus Iudex, magni Basilij tolerantiam temulentus exercuit; donec in agresti casa, ut extingueretur, accensus, finem suum moriens illustravit in flamma. Exempla in alijs generibus habes apud Tullium, & alios. Sanè vix alibi opportunior est locus argutiarum, quàm in hujusmodi narratiunculis; in Amplificationibus enim nonnihil enervant robur argumentorum, dum ab attentione Auditorem avocant in admirationem ingenij dicentis.

OBSERVATIO XXI.

Circa varia styli vitia.

PEccant primò nonnulli, quòd ornatum nullũ, ac delectum in verbis adhibent, & pedestri, vulgarique modo dicendi sinè varie-

tate vel figurarum, vel sententiarum, servando ordinem grammaticalem, quem jam dixi, iterando sæpius idem verbum, quod eorum inopiam evidentissimè prodit, addendo cuique substantivo reciproca, ùt: *matres amant filios suos, & illis blandiuntur*, & alia hujusmodi, quæ demittunt orationem; elegantiùs enim dicitur sinè hujusmodi Pronominibus, ut: *matres iis, quos amant, filiis blandiuntur*. In hoc vitio censentur jejuni, & qui tyrones sunt in oratoria facultate. Remedium est eos cogere ad Metaphoras, ad lectionem auctorum, qui graves sint, & illorum capacitatem non excedant; omnium tamen optimum assidua exercitatio. Aliter enim nunquam perficitur stylus, qui nihil aliud est, quàm facultas quædam explicandi res verbis, quibus oportet, & modo, quo oportet.

Hoc vitium, utpote proprium hebetiorum, & rudium, tantopere re-

formidat vulgus sapientum; ut dum unum fugiunt, in plura incidant huic uni opposita; & ex his quidem alij in stylum poëticum degenerant. In quo autem differat stylus poeticus ab oratorio, non ità facilè definiri potest.

Ego adverti Poetas in hoc potissimùm differre, quòd Oratorum modo non explicent res ipsas, sed earum loco Deos præsides, signa, causas, effectus, partem pro toto, totum pro parte, inventorem pro re inventa, &c. Frequentissimè etiam dant animam rebus, &, qualibet oblata occasione, in fabulas digrediuntur.

Orator, exempli gratiâ, si describat Auroram, dicet interlucere priùs tempus quoddam sublustre, lucémq; adeò creperam, ac dubiam, ut eam vix à tenebris internoscas, sed si diurnæ lucis memineris, noctem reputes; si nocturnarum tenebrarum, diei conjungas. Poeta verò dicet, roseo curru vectam Auroram, flagello lu-

cis fugare ſidera, unum illi rebellem Phoſphorum obſiſtere, poſcere radios Phœbum, & quadrigam ſuam, equóſque ad iter hortari.

Frequentiora etiam epitheta ſtylum poeticum faciunt: in quo peccant non pauci Italicè declamantes; Orator enim non aſſumit epitheta, tanquam complementum Periodi, ut ſæpe Poeta carminis, ſed tantùm ſi magìs rem explicent; ſi addant pondus Amplificationi; ſi contineant argutiam aliquam; vel eruditionem ſcitu dignam; ſi deniq; ſint ex illis, quæ commendat Horatius in Poetica; quæ adjuncta verbo, illud quodammodo novum reddunt; ùt ſunt, quæ videntur deſtruere idipſum cui apponuntur, ut illud: *objurgatio encomiaſtica*; ſi enim objurgatio, quomodo encomiaſtica? & ſi encomiaſtica, quomodo objurgatio? quæ epitheta venuſtiſſima ſunt, niſì frequentiora ſint, quam decoris ratio poſtulet.

In ſtylum etiam poeticum facilè incidunt Idolatræ translationum, qui nihil unquam dicunt per verba propria, ſed omnia per Metaphoras: quæ planè putidum faciunt dicendi genus, & obſcurum etiam, dum Allegorias ſolùm, & ænigmata loquuntur: omnis enim ornatus, ille potiſſimùm, qui minùs naturalis eſt, magíſque artem ſapit, ſi nimiùm familiaris ſit, venuſtatem, & admirabilitatem prorſus amittit.

Stylus hic putidus, & affectatus, ùt vocant, aliquando eſt in inventione tota, ùt cum Propoſitio ipſa, & probationes poeticæ totæ ſunt, aliquando in elocutione; & ratione hujus alii peccant in figuris ſectando illas, quæ magis artificioſæ ſunt, ùt crebras Annominationes, Gradationes, Enumerationes, longiores multarum rerum ad oſtentationem memoriæ: Aſcenſus, & Deſcenſus, quos Itali vocant *Sali, cendoli*; & ſunt,

cum

cùm postquam multa numeravimus, ea omnia ordine inverso sæpe resumimus, in quo olim frequentiorem se fuisse doluit Panigarola jam senior. Absit tamen, ut damnem ego hoc loco hujusmodi ornamenta, quibus ego etiam libentissimè utor; sed arguo solùm frequentiorem illorum usum, eò quòd indè omnis illis venustas detrahatur: nihil enim pretiosum, quod non rarum: & bene Satyricus: *Voluptates commendat rarior usus.*

Alii peccant in verbis simplicibus, captando nimìs studiosè vel antiqua, & obsoleta, vel mollia, & putida, ut sunt diminutiva quædá hujus generis. Ocellulis blandulis, à somnulo obsessis, &c. Quod vitium est satis commune illis, qui eruditi volunt videri, ac proinde omni penè in verbo ad historiam, vel fabulam alludunt, obruúntque rerum copiâ, & in-

digestâ illâ mole fatigant Auditores suos. Cavendum igitur diligenter, nè immoderatum gloriæ, & plausûs desiderium, illum ipsum nobis imminuat: absit, ut unquam ità serviamus ingenio, ut rationi, & prudentiæ, id, quod addamus acumini, detractum velimus: ego sanè malim audire minùs acutum, incedentem non supra conditionem suam, quàm sciolum aliquẽ, qui se supra nubes attollat per audaces Metaphoras, & Hyperboles, prodátque vel in ipsa dictione sua ambitionem sapientiæ, & tumorem, quo uno magìs læduntur Audientes, quàm quolibet alio, quod tolerare cogantur in dicente.

Et hæc ipsa ratio est, cur tantoperè moneant sapientes, nulla re magìs abstinendum Oratori, quàm à venditatione rerum suarum; atq; ideo ea illum voluere lege teneri, ut de suis rebus nunquam loquatur.

Stylus puerilis superiori satìs affinis

nis amat descriptiunculas, in quas qualibet data occasione digreditur; præsertim in descriptiunculas tenuiores, ut sunt, horti floridi, rivuli fluentis, choreæ muliebris, Auroræ, & similium.

Solet etiam exigere sæpe attentionem per formulas illas communes, ostentare item peritiam præceptorum Rhetorices, corradere ex auctoribus quædam insigniora, quæ ut ipsis nova sunt, ità & aliis autumant inaudita, in quacunque etiam re vel levissima, dicta sapientûm adducunt; & similiter desinens, & subjectiones, & his similia. Hæc vitia ideo adduxi, ut cognita vitari faciliùs possint.

OBSERVATIO XXII.

An unus aliquis stylus supra cæteros sit probandus.

QUæres primò, an laudandi sint illi, qui jurant in verba alicujus

alicujus auctoris ità, ut profiteantur se nihil dicere, quod ille antè non dixerit. Dicam ego planè, quod sentio, ridiculos videri, qui se in tantas velint angustias redigere. Amabo potiùs illos, qui cùm ex omnibus auctoribus seligant id, quod in ipsis laudari solet, id ità exprimunt, ut faciant quodammodo suum. Cave tamen, putes damnare me eos, qui auctores, Tullium præsertim, sibi imitandos proponunt. Absit, ut prohibeam tam ingens emolumentum nostræ facultatis. Auctores, antiquos præsertim, qui assiduè non habeat in manibus, vix proficiet. Rideo solùm eos, qui ubi nullum dixerint verbum, quod in Nizolio non invenerint, se illico venditant Tullianos, quos ùt plurimùm frigidos videmus, & ingenii minùs acuti, inopiam suam hac arte tegere, & insultare demum aliis omnibus, ac si latine non dicant, quia dicunt aliquid, quod Terentius,

vel Plautus, vel Plinius dixerit, & non Tullius. Scio, magnos viros aliter fortasse sentire: si tamen meam propositionem intelligant, non video, quid in ea possint arguere; cùm enim non unum sit scriptionum genus, cur unum styli genus esse debeat, planè non video. Quid quòd ipsemet Tullius idem ubique non est; alio stylo scripsit Epistolas ad Q. Fratrem, alio ad Atticum, alio ad Familiares, alio libros de Philosophia, alio de Officijs, alio orationes in Verrem, alio in Antonium.

Atqui, inquiunt, stylus Tullij perfectissimus est. Quis hoc audeat inficiari? Veneror Tullium, quem tota posteritas adoravit, tanquam unum aliquem eloquentiæ Deum: & damno eos, qui se ità parùm novisse Tullium ostendunt, ut quia verba Tullij habent, ideo stylum Tullij habere se dicant; ac si ijsdem verbis Tullij non posset stylus Senecæ, & cujus,

cujuslibet alterius auctoris exprimi. Adde, quòd non quia homo perfectissimum animal est, ideo simius, qui ad illum propiùs accedit, est ab illo secundum, & non potiùs omniũ penè turpissimum. Ubi adverte, hujusmodi erroris caüsam esse, quòd hi Pseudotulliani styli nomine verba intelligunt; in quo quàm decipiantur, patet ex eo, quòd omnes scriptorum latinorum styli diversi maximè sunt; & tamen omnes non alijs, quàm quæ in Calepino sunt, verbis utuntur. Sed de his satìs. Varias styli differentias expressit luculenter Caussinus in suis Parallelis.

Quæres secundò: quem potissimùm imitari debeat eloquentiæ candidatus in unoquoque styli genere, & in diversis scriptionum generibus ad artem suam spectantibus? Respondeo, in orationibus primas omnino dare me Tullio: neque enim habemus aliquem, in quo plures dotes conve-

niant;

niant; ibì enim elegantia in elocutione cultissima; vehementissima in affectibus, lepores, sales, transitiones; & alia hujusmodi admirationem alere possunt. In Panegyricis tamen non video, cur laudem suam non habeat Plinius, & Pacatus; in genere dicendi Didascalico Quintilianus; in Satyrico Petronius; in concionibus historicis Livius, & Sallustius. Et in universum opinio mea hæc est, ad quam etiam conformare stylum pro viribus studui, ut quæ ad nervos artis, ad amplificationes, & periodos pertinent, Tullium sequerer; ornamenta verò tum ex argutiis, tum ex eruditionibus ab aliis acciperem. In orationibus tamen, concionibus, & rebus serijs, abstinerem ab ornamentis, quæ Palæstritam potiùs, quàm militem exprimerent, in cæteris verò aliquantò liberiùs ingenio indulgerem: ità in elogijs, ità in præfatiunculis Laconicum exprimo-

mo, in aliis ab Asiatica amplitudine non abhorreo. Sed in his seculo nostro nimia jam fortasse libertas est; & plerique de stylo disputant, qui ne styli quidem definitionem intelligunt.

Styli vitia nîl æquè corrigit, ac lectio magnorum Oratorum. Experientiâ enim didicimus, nè ingeniosissimos quidem ad styli consistentiam aliquam pervenire, antequam videri potuerint ad ætatis consistentiam jam venisse; vel enim ipsis ingeniis ætates suæ sunt, quarum in una acerbiora sint, in altera vix matura.

OBSERVATIO XXIII.

Circa aliquot rationes variandi eloquutionem.

VEnio jam ad primam harum observationum partem, in qua affero nonnulla quæ faciunt ad hoc, ut unam, & eandem rem pluribus modis explicemus, in

qu

quo maximam difficultatem experiuntur hujus artis tyrones.

Vir damnatæ memoriæ in opere de copia rerum, & verborum, quemadmodum & Simon Verpæus in libro de eadē materia varias tradidêre rationes, quibus variari posset elocutio. Harum præcipuas hîc referam. Primus modus est per synonyma rei, de qua dicimus, ùt pro navi possum dicere Triremem, Myoparonem, Ratem. Ad hunc modum pertinent etiam ea omnia, quæ dicuntur per quandam æquipollentiam; ùt sunt, quæ per Synecdochen, Metonymiam, & Catachresim efferimus, ùt cùm vel partem pro toto, totum pro parte, inventorem pro re inventa, &c. pro quibus consule Cyprianum libro 3. Extat libellus de synonymis Ciceronis, qui perutilis est.

Secundus modus est per periphrasim; ùt cùm pro sole dicimus nobilissimum illum lucis Aurigam, pro

 lusci-

luscinia syrenem sylvarum,&c.& hic modus optimus est, si fiat suis locis,& ferè coincidit cum descriptione.

Tertius modus est per tropos, quorum tamen plures magìs ad Poetas pertinent, quàm ad Oratores, ùt sunt multa, quæ per Synecdochen,& Metonymiā& Catachresim dicuntur. Variatur autē elocutio per Antonomasiam non solùm modo illo communi, quo dicimus Oratorem Romanum pro Tullio, Apostolum pro Paulo, &c. Sed etiam cùm illi, quem laudare, vel vituperare volumus, affigimus nomen illius, qui in illo genere virtutis, aut vitij summus habetur, ùt cùm dicimus:

Archimedem pro mathematico.
Phalaridem pro crudeli.
Sardanapalum pro molli.
Verrem pro fure.
Momum pro mordaci.
Thersitem pro deformi.
Phormionem pro confidenti.

Chorœbum pro ſtupido.
Stentorem pro clamoſo.
Irum pro paupere.
Ariſtidem pro juſto.
Catonem pro gravi.
Vertumnum pro inconſtanti.
Curionem pro oblivioſo.
Protheum pro mutabili.

Et in univerſum ea omnia, quæ dicuntur per quandam excellentiam, habent rationem aliquam Antonomaſiæ.

Per Auxeſim, ſive per amplificationem variatur oratio, cùm amplificandæ rei gratiâ verbum atrocius ſubjicimus loco proprii, ùt cùm ſignificare volentes aliquem dolore affectum, dicimus exanimatum, & mutum, qui nihil reſponderit, & revixiſſe, qui ſperare cœperit. Huc pertinent etiam appellationes illæ, cùm dicimus immitem hominem, carnificē; ſceleratū, ſcelus; malá fœminá, veneficam. Præterea denominationes illæ

illæ, quæ ab ipſa re ſumuntur, ut cùm dedecoroſum dicimus dedecus, lurconem barathrum, tenebrionem tenebras, contemptum quisquilias, brutum pecudem, virulentum viperam.

Per Hyperbolen variatur etiam elocutio: eſt autem hyperbole dictio fidem veritatis excedens augendæ, minuendæve rei gratiâ: minuimus autem potiſſimùm per comparationem aliquam cum rebus inanimis, & ſic dicimus ſtipite aridiorem, ſilice duriorem, littore ſurdiorem, arenis ſicciorem, cote duriorem, buxo pallidiorem, algâ viliorem, pice nigriorem, plumâ molliorem, plumbo ſtupidiorem, cortice leviorem, æquore inconſtantiorem, ære Dodonæo loquaciorem, piſtillo retuſiorem, ampullâ inaniorem, Charybdi voraciorem, morte odioſiorem, cribro infideliorem, & his ſimilia.

Aliquando minuimus, comparando

do cum personis notissimis in eo gene-
nere, in quo vituperamus: & sic dicimus Cyclope immaniorem, Tiresiâ cæciorem, Gigantibus elatiorem, Phormione confidentiorem, Megæra furiosiorem, Icaro inconsultiorem, Annibale vafriorem, Codro pauperiorem, Timone inhumaniorem, Peniâ indigentiorem: quæ personæ vel notæ sunt in comœdijs antiquorum, ùt Gnatones illi, & Thrasones; aliæ in fabulis, ùt Tiresias, Protheus, Harpyiæ, Gigantes; aliæ in historijs, ùt Phalarides, Curiones, Annibales, &c. Aliquando fit comparando cum populis, & gentibus, quæ in eo genere infames sunt: ùt, cùm quis dicitur Pygmæo brevior, Cretensi mendacior, Thessalo perfidior, Milesijs effæminatior, Scythâ asperior, Arcade stolidior, Thrace bibacior, Sybaritâ mollior, Arabe ditior, Pæno fraudulentior, Scythotauris insolentior, & his similia.

Aliquando minuimus, comparando cum personis respiciendo in illis munera, conditiones, & artes; & sic dicimus Areopagitâ tristiorem, milite gloriosiorem, Tenedio judice severiorem.

Aliquando minuimus, comparando cum animantibus, quæ in eo genere notissima sunt, ùt cùm dicimus Tauro robustiorem, Testudine tardiorem, Vulpe fraudulentiorem, Fele rapaciorem, Phænice rariorem, Vulture edaciorem, Muliere loquaciorē, & his similia.

Aliquando denique minuimus iterando idem verbum per suum Abstractum, ùt cùm dicimus ipsâ nequitiâ nequiorem, ipsâ loquacitate loquaciorem, ex quibus poterit quis alia deducere ad minuendum.

Iisdem omnino rationibus augebimus res, quibus minuemus, & laudabimus, quibus vituperabimus, & sic comparando cum inanimis dicemus;

mus Magnete illicibiliorem, Auro pretiosiorem, Fonte puriorem, Nive candidiorem, Melle dulciorem, Oleo tranquilliorem, Sole clariorem, Alno proceriorē, Oculis chariorem. Item comparando cum personis notissimis, vel in comœdijs, vel in fabulis, vel in historijs, vel cum Dijs in virtute illa laudatissimis; & sic dicimus Mercurio facundiorem, Venere formosiorem, Marte bellaciorem, Minervâ doctiorem, Gratijs humaniorem, Euterpe concinniorem, Aristide justiorem, Penelope castiorem, Ulysse sagaciorem, Achille fortiorem, Numâ sanctiorem, Regulo fideliorem; & sic de alijs comparationibus, de quibus supra.

Per allegoriam quomodo varietur oratio, patebit ex observatione sequenti, ubi de *Metaphora*, neque enim aliud Allegoria est, quàm Metaphora continuata.

OBSERVATIO XXIV.

Ratio variandi elocutionem per Metaphoras.

NObilissima ratio variandi est per Metaphoras, quæ mirificè ornant orationem, & aliàs quidem inserviunt ad explicandam magìs rem, aliàs ad magìs exornandam. Cùm igitur, ùt sæpe accidit, verba non suppetunt propria, quibus rem explices, vel proprium non est ità nobile, sed tritum, & commune, accurrendum ad metaphoras, de quibus hìc dicam ea, quæ ad praxim illarum inveniendarum facere possint, omissis alijs, quæ minùs utilia sunt, ùt, quomodo distinguantur ab æquivocis, Analogis, Ænigmatibus, Allegorijs, de quibus uberiùs Panigarola in Demetrium, & Aresius l. 3. c. 11.

Species Metaphoræ assignantur à Cypriano lib. 3. cùm ab inanimis ad animata, & ab animatis ad inanima, & ab

& ab animatis ad animata, & ab inanimis ad inanima transfertur aliquid. Hanc divisionem magìs explicat Panigarola hac ratione, à bestiis ad inanima, ad plantas, ad homines; à plantis ad inanima, ad bestias, ad homines; ab inanimis ad plantàs, ad bestias, ad homines: ab hominibus ad inanima, ad plantas, ad bestias. Quæ divisio quàm recta sit, hìc non disputo; moneo tantùm, cùm dicit ab hominibus, intelligi debere cum rebus omnibus proprijs hominis, ùt sunt opera memoriæ, intellectûs, voluntatis, & perturbationum omnium.

Quandoquidem omne id, quod est Metaphora, respectu alterius est; indignari enim, quod de Araxe fluvio metaphoricè dicitur, de homine propriissimè diceretur; ideo primam rationem, & radicem inveniendi metaphoras existimo esse, si habeamus ad manus voces proprias cujusque

 rei,

rei, & artis, ad quod utilia sunt Onomastica illa, in quibus disposuerunt auctores res singulas per suas classes: ùt illud Grapaldi de re domestica, & aliud Francisci Alumni inscriptum *Fabrica del Mondo*: aliud item, quod inscribitur *Nomenclator rerum omnium*. Quòd si quis posset habere nomina, & verba pertinentia ad artem aliquam, vel elementum, eo modò disposita, quo sunt in tabula, quâ hîc exempli causâ subjicio, facilè transferret proprium unius ad aliud, atq; ità facilè metaphoras inveniret.

Tabula vocum spectantium ad militarem.

Gladiatores,	Exauthorare,
Athletæ,	Propugnare,
Agonistæ,	Vallare,
Palæstritæ,	Munire,
Emissarij,	Merere.
Metatores,	Irruptio,
Perduelles,	Impetus,

Faeci-

Fæciales,
Gregarij,
Triarij,
Speculatores,
Provocare,
Arietare,
Doloricare,
Castrametari,
Digladiari,
Authorare,

Suppetiæ,
Induciæ,
Asylum,
Stratagema,
Sarcinæ,
Stipendium.
Impedimenta,
Acies,
Aggressio,

Tabula spectantium ad nauticam.

Nauta,
Nauarchus,
Remiges,
Vectores,
Pyratæ,
Naufragi,
Cynosura,
Oceanus,
Naufragari,
Hamare,
Piscari,
Egerere,

Turbinari,
Jactari,
Fluctuare,
Emergere,
Rudentes,
Transtra,
Decumani,
Carbasa,
Portus,
Procella,
Saburra,
Malacia.

& alia sexcenta, quæ hîc omitto. Hac cognitione rerum, & verborum suppositâ, vide quàm facilè possis transferre unum ab alio: si enim sit describenda tempestas, poteris sumere metaphoras ab ijs, quæ in tabulâ datâ propria sunt rei bellicæ, & sic dices digladiari ventos, liquidis arietare montibus cœlum, ut patet in hac descriptione. *Si quando ex conjuratione ventorum in seditionem excitum mare vehementius intumuerit, totum illicò videas in spumas iracũdiæ indices constipari, liquidis arietare montibus cælum, immiscere se nubibus, immortales syderum flammas exstinguere, artis præsidium navarchis adimere, naves in syrtes allidere, naufragos usque ad interitum fatigare, pisces in littus egerere, præfinitos arenarum terminos dedignari, frangere fluctibus fluctus, discordique boatu soporem finitimis impedire.* Ubi vides arietationes, seditiones, & alia ferè

omnia,

omnia, quæ nobiliora sunt, à re militari esse desumpta. Jam verò si è contra sit describenda pugna militaris, & bellum, poteris describere, assumendo ea, quæ sunt propria procellæ, & ea quæ spectant ad nauticam, atque ità dices, fluctuare victoriam, vix unum aliquem è tot fluctibus liberum enatare, ùt videre est in hac descriptione. *Quàm non absimilis in nos fuerat excitata tẽpestas, cùm variis bellorum æstu turbinibus æquora nostra citra pelagi fines decumanos intrà fluctus ingemerent: cùm hinc plumbeæ grandinis nimbi, illinc bombardarum tonitrua, indè prævia æneis fulminibus fulgura ipsis etiam magnanimis meliorem animi partem eriperent; cùm purpuram cruento daremus Eridano, quo se veriùs fluviorum Regem jactaret; cùm rideret ager cadaverum adipe saginatus, cùm quisque tanquam in naufragio facultates egereret, & ex immanenti mole malo-*

tum supremam perniciem expectaret. Et hæc ratio describendi lepidissima est, si præserim continuemus metaphoras, quæ fiet Allegoria, non pura illa quidem, sed mixta cum propriis, quæ illi obscuritatem summopere minuent.

OBSERVATIO XXV.

Proponuntur aliæ rationes inveniendi Metaphoras.

ALiam rationem tradidit Aristoteles in poëtica, & est, cùm recipimus genus illius rei, cui intendimus Metaphoram applicare; & cùm sub eodem genere sint diversæ species, aliæ quidem nobiliores, ignobiliores aliæ, has assumimus, ut vituperemus, illas, ut laudemus. Explicabo rem clariùs exemplo. Volo laudare magnanimitatem Achillis. In genere magnanimi sunt tanquam species Aquilæ, Leones, Heroës. Si vis igitur laudare, dices Aquilam,

Aquilam, vel Leonem, vel Martem Græcorum: species verò ignobiliores in eo genere sunt illis directè oppositæ, ùt Lepores, Columbæ, Margites, &c. hunc modum fusiùs explicat Aresius. Aliud exemplum sit. Volo laudare aliquem in genere pulchritudinis: sub hac specie sunt viri, mulieres, flores, gemmæ. Poteris igitur dicere rosam, margaritam, Helenam, &c.

Alius modus est, deducendo metaphoras ab ipsâ similitudine, qui satìs obvius est, ùt verbi gratiâ, diceres per similitudinem, Quemadmodum Leo vastat obvios quosque, ità Achilles. Detrahe notam similitudinis, quæ ùt plurimùm explicatur per illas voces, *Veluti*, *Sicuti*, *Quemadmodum*, *Non secùs ac*; & fiet metaphora, cùm dices: *Leo ille Græcorum*. Ad inveniendas autem similitudines possumus lustrare singula prædicamenta, & videre, quid in eorum unoquoque

faciat

faciat ad rem nostram. Sed hoc supponit cognitionem prædicamentorum, de quibus Logici. Tertium modum affero, & est respicere varios ordines, quos habet res aliqua ad alias; & hunc ego facillimum, & optimum reor. Respectus autem isti rerum sunt ad suas causas, & effectus, ad paria, ad majora, ad minora, ad contraria, ad antecedentia, ad consequentia. Sit exemplum. Volo Solem describere per metaphoras conglobatas, ut illas inveniam, considero varios Solis respectus ad suas causas, Deum scilicet, cujus dico thronum esse, & imaginem; ad Cœlum, & dico esse oculum Cœli; ad paria, ut sydera, & dico esse sydcrum Regem, & Patrem; ad situm, in quo est, & dico esse cor mundi; ad effectus suso, & dico esse aurigam, & fœneratorem lucis; ad mundum, & dico esse lampadem in hoc DEI templo suspensam; in ordine ad contraria, puta

ta

ta tenebras, esse illarum perniciem. Omitto cæteros, quos ex istis intelliges.

Ut autem clarior accidat hic modus, oportet attendere in rebus ipsis, cum quibus inest hic ordo, qualiter accipi soleant, & definiri per metaphoras; ùt verbi gratiâ mundus, cum quo respectum habet Sol, alijs animal est, alijs templum DEI, alijs theatrum, &c. Si Sol compareretur igitur ad illum, quatenus animal dicitur, appellabis Solem immensi hujus animalis cor, & oculum: si tanquam cum templo, magnificentissimi hujus templi æternam lampadem, aut victimam, aut Sacerdotem: si ùt ad theatrum, dices illud esse vel actorem, vel spectatorem primarium, qui DEI partes agat: quòd si compares ad sydera, quæ aliis sunt militia Cæli, hujus ille militiæ dux erit; aliis familia, Pater erit; aliis funebres faces, hisce facibus illius funeri pa-

parentari. Qui modus quàm elegans sit, patet; plures enim metaphoræ conglobantur, quarum una magis explicat aliam; quod in Praxi clariùs patebit

Habeo adhuc alias rationes, quas facilitatis gratiâ excogitavi.

Prima est, si res proprias unius sensûs transferas ad alios, quæ sint propriæ alterius, & sic dicas bibere voces auribus, devorare aliquid oculis, serere verba, & similia; serere enim, quod manus est proprium, transfertur ad linguam; & devorare, & bibere proprium gutturis, transfertur ad aures, & oculos.

Secunda, accipiendo res proprias Cæli ad significanda ea, quæ sunt in terris, & è contrà; sic rectè dices florere Cælum astris in æterno illo vere, suis distingui syderibus cælo æmulam terram, cùm floret, &c.

Res item proprias unius elementi ad proprias alterius rectè transferimus.

mus.

mus. Sic dicimus aves in aëre pennis remigare, volare naves in mari, suas esse Syrenes in sylvis.

Item cùm res unius artis proprias transferimus ad alias artes; & sic rectê dicimus circinare periodos, transferendo ad oratoriam id, quod est mathematices. Sed hic modus satìs patet in exemplis allatis superiori observatione de nautica, & militari. Civilia item transferimus ad rem rusticam, & è contrà; sic dicimus florere Rempubl. civibus, & similia. Naturalia item ad artificialia, & è contrà. Sic Cælum dicimus Academiam syderum, mare tumulum Solis, & alia hujusmodi, quæ passim occurrunt in auctoribus. Has rationes omnes qui percurrat, non video, cur metaphoras invenire non possit, nisì sit omni prorsus ingenio destitutus.

OBSERVATIO XXVI.

Circa perfectiones, & vitia Metaphoræ.

IN perfectionibus metaphoræ prima est, ut non solùm per eam innotescat simpliciter res, quam exprimimus, sed aliqua etiam ejus proprietas, & modus, aut major aliqua convenientia unius in aliud, quæ per verbum proprium non ità innotesceret. Sic rectiùs dices pluere ex oculis lacrymas, quàm si dicas scaturire; pluere enim explicat modum lacrymarum, quo cadunt; quem non explicat scaturire.

Secunda, quæ attribuit animam rei inanimæ, & repræsentat res in actione, perfectissima est: & sic dicimus sagittas volandi avidas, Ætnam eructare flammas, Mare dare oscula Littoribus, flumina mordere Provincias, Montem in mari pedes abluere, & hæ metaphoræ sunt, quas tanto-

tantopere laudat Demetrius cap. 17. & Panigarola in eum locum. Cur autem tantopere placeant istæ metaphoræ, ratio esse potest, quia, quæ actuosa sunt, magìs movent sensus, quod patet in picturâ, cujus rationem aliquam habent metaphoræ.

Tertia perfectio est novitas; illæ enim minùs arrident, quæ passim teruntur à vulgo: antiquitas autem metaphoræ non desumitur à tempore, multas enim habet Homerus, quas si proferas, pro novissimis excipientur, sed ab usu frequentiori. Quare in una, & eadem concione, vel in alijs etiam diversis si eandem dicas, cavendum diligenter, nè inopiam tuam prodas, si præsertim insignior sit metaphora, ad quam ideo magis adverterit auditor: quod ipsum iterum moneo, cavendum in rebus omnibus, quæ insigniores sunt; hæ siquidem cùm firmiùs inhæreant animis, iteratæ nauseam provocant, & ad

& admirationem, quam excitârant, exſtinguunt. Sunt autem multæ voces, quæ, cùm initio metaphoræ fuerint, jam pro propriis habentur; ità familiares ſunt: hujuſmodi ſunt illæ, lumen pro oculo, ardens pro amante, gravis pro moleſto.

Quarta, ut ſumatur metaphora à proprietate, quæ magis elucet in re, in quo peccare autumât multi Metaphorá illá Pauli Tertij, quâ dixit Mediolanum Helenam Italiæ eſſe, volens ſignificare fuiſſe tot cauſam bellorum inter Gallos, & Cæſarem, cùm tamen Helena pulchritudine notior ſit, quàm origine belli.

Peccant aliæ Metaphoræ ratione improportionis; ùt ſiquis vocet Solem candelam; aliæ ratione materiæ, ùt ſunt illæ deſumptæ à rebus ſordidis; aliæ ratione obſcuritatis, quæ provenit ex multiplici capite; primò quia ſupponit cognitionem alicujus qualitatis minus notæ, ùt ſiquis

inſta

instabilem hominem Cycladam dicat; Cycladas enim Insulas mobiles exstitisse non ità omnibus compertum est. Si quid igitur hujusmodi accidat dicere, ex antecedentibus, & consequentibus adducenda Metaphoræ claritas. Nascitur etiam obscuritas ex eo, quòd multæ plerumq; metaphoræ conglobentur, quæ demum se invicem obruunt: Sapientis autem monitum est, *Nè quid nimis*,

Odi etiam portentosas illas metaphoras, quæ res tenues aliquando etiam suprà Hyperbolen evehunt, quod jure deplorant nonnulli in nostri seculi oratoribus, qui nihil unquam dixisse se autumant, nisì rem, de qua dicunt, supra Cælum, & Stellas, & quandoque etiam supra divinitatem ipsam collocârint, quod ridiculum planè est Amplificationis genus; ut enim bene Caussinus, Amplificatio mendacijs non conflatur, nec qui dicit rem aliquam maximam,

mam, sed qui eam talem probat, amplificat. Illud autem diligenter cavendum, ut metaphoræ sibi correspondeant, nè ab una videamur illico in aliam desultare, in quo peccaret, qui diceret Oratorem orationis clave confregisse obfirmatum animum; clavis enim est aperire, non frangere. Hæc omnia ferme vitia facilè corrigi possunt per apposita, seu epitheta; cùm enim quædam vitia sint ab excessu, alia à defectu; prima quidem per appositum minuens, secunda per appositum elevans corrigentur; ut si de Sole dicas, esse lampadem, tenuis metaphora est; appone epithetum augens, & corriges, dicendo immensam esse lampadem vastissimo huic DEI templo parem; & in universum nihil ferme est, quod magis metaphoram ornet, quàm epithetum; si tamen non sit inane complementum illius.

Quæres regulas, quibus possis explorar(e)

plorare metaphoras, an bonæ ſint? Reſpondeo primò, judicium id relinquendum rectæ rationi. Secundò, dico cum Ariſtotele eam in nonnullis legem valere, ut ad explorandam unam metaphoram contrariam aſſumamus, de qua ſi prædicetur aliquid omnino contrarium illi, quod de alio prædicas, in quo eſt metaphora, quam exploras, ſi de contrario bene dicatur contrarium, ſignum erit bonam utramque eſſe. Exemplo explicabo rem clariùs. Si quis dicat: *Hac æſtate nobis imminet mons caloris*; aſſume contraria; Montis eſt Vallis, Caloris eſt Frigus, Æſtatis eſt Hyems; vide igitur, an bene dicatur: *Hac hyeme erimus in magna valle frigoris*; hæc enim cùm prava ſit, aliam item pravam demonſtrat. Sed notant plerique hanc regulam non valere ad explorandas omnes metaphoras, quæ magìs ex ſe ipſis, quam ex præceptionibus innoteſcunt.

OBSERVATIO XXVII.

De variatione dictionis per alias figuras.

OMitto hoc loco variationes illas, quæ consistunt in diversa collocatione verborum, ex eo quòd grammaticis finitimæ sint. Afferam tantùm exemplum unius Propositionis variatæ per omnes figuras. Sit exemplum: *Nihil est virtute nobilius*. Variabitur hæc per omnes figuras, & tamen retinebit semper eundem sensum.

Per Interrogationem. *An est aliquid virtute nobilius?*

Per Responsionem. *Quid perennare hominem facit? Virtus.*

Per Subjectionem. *Virtuti divitiæ desunt? At habet amplissimas.*

Per Anteoccupationem. *Quanquam virtus, cùm per se nobilissima sit, se ipsam potest etiã sinè voce laudare.*

Per Dubitationem. *Nescio planè, quid*

quid reperiri possit, quod debeat cum virtute conferri.

Per Prosopopæiam. *Mihi videor audire virtutem his vocibus querulã, Et quid habetis me ipsa nobilius, o mortales?*

Per Apostrophen. *Vos, vos appello, Sapientûm oracula, quæ nihil unquam virtute nobilius agnovistis.*

Per Præteritionem. *Omitto hoc loco dicere, quæ sint virtutis encomia, nihil hîc de illius dignitatibus, &c.*

Per Licentiam. *Videte quàm non reformidem asserere, nihil in terris esse virtute nobilius.*

Per Concessionem. *Esto, demus nobiles esse divitias; nemo tamen virtuti primas ademerit.*

Per Ironiam. *Ità plane, in terris est aliquid virtute nobilius.*

Per Distributionem. *Virtuti non deest, nec ad vivendum industria, nec ad pugnandum alacritas, nec ad obtegendum clypeus,*

Per Permissionem. *Audeant hoc asserere insulsæ cucurbitæ, Aliquid esse in terris virtute nobilius.*

Per Deprecationem. *Te ego per salutem tuam deprecor, atque contestor, ut illud tandem agnoscas, nihil in terris esse virtute nobilius:*

Per Execrationem. *Dij te perdant, quandocunq; dixeris quidquam in terris esse virtute nobilius.*

Per Exclamationem. *O eximiam nobilitatem virtutis! ó invidendam eorum omnium felicitatem, qui credunt nihil in terris esse virtute nobilius!* Omitto alias, de quibus Cyprianus, & Caussinus.

In universum autem de figuris id moneo, si suis locis fiant, vix quidquam esse, quod magis orationem exornet; in iis autem potissimùm emicat dicentis natura. Quare vehementes, si usurpentur à frigidis, frigescunt quodammodo. Harum multas lectio suppeditabit magnorum

Oratorum, Tullij præsertim, qui in illis, & in cæteris divinissimus est.

OBSERVATIO XXVIII.

Circa varios modos transitionum, & comparationum.

Utile erit hoc loco adnotare formulas aliquas earum rerum, quæ frequentiùs veniunt ad manus, & in primis transitionum. Est autem transitio, cùm, absoluta tractatione argumenti, ad aliud progredimur; hæc autem variari potest his ferme modis. Primò ab æquali, hoc pacto: *At ùt fuerint hæc jucundissima, non minùs voluptatis attulerunt illa,* &c. Secundò ab inæquali, ùt: *Sed hæc utcunque ignoscenda, illud verò quis ferat? audistis gravissima, sed audietis etiam graviora.* Tertiò à simili. *Hæc perfidus perpetravit, quibus & assinia sunt illa, quæ nuper Romæ dicitur perpetrâsse.* Quartò à contrario, ùt: *Hactenus, quæ priva-*

stim, nunc quæ publicè: hæc juvenis patravit, nunc senis virtutes audite. Quintò à diverso, ùt: De *moribus hactenus, nunc de doctrina reliquum est, ut dicamus.* Sextò per occupationem, ùt: *Quò transversos rapuit dolor? ad rem redeamus.* Septimò per repressionem, ùt: *Ad reliqua properabimus, illud sit priùs adjecerimus.* Octavo à consequentibus, seu relativis, ùt: *Quid pollicitus sit, expositum est; nunc quid præstiterit, paucis excipite.* Et hæc de transitionibus.

Connectendi formulæ sunt ferme sequentes particulæ: *Præterea, Deinde, Subinde, Porrò, Autē, super hæc, adde his, accedit his, accedit ad hæc, huc pertinet, eodem pertinet, huic a fine est illud, huic proximum est illud. Haudquaquam prætereundum, sed operæ pretium est illud audire.* Et cùm vehementiùs excandescit oratio: *Iam verò, age verò, quid, quod, Iam vero quid referam? ut omittam,*

nam

nam illud quid attinet commemorare? nam hæc audis: eloquar, an sileam? & his similia, quæ faciunt magis ad contentionem.

Alias hujusmodi formulas, ut comparandi, assentiendi, dissentiendi, precandi, dividendi, dubitandi, prohibendi, concedendi, libentissimè hoc loco digererem, si per tempus liceret; Peti tamen possunt ex lib. de copia rerum, & verborum à cap. 15. ad subsequentia.

OBSERVATIO XXIX.
Quæ gravem, & eruditam faciant orationem.

EXpeditis iis, quæ ad variandam elocutionem spectant, superest, ut de modo addendi gravitatem, & eruditionem stylo pauca dicamus. Non loquor hîc autem de ea gravitate, quæ se tenet ex parte inventionis, & probationum, sed de ea solùm, quæ facit ad ornatum elocutio-

centionis. Fiet igitur gravis oratio, vitando vitia ſtyli, & tranſlationum, de quibus ſuprà. Hic pauca tantùm dicam de ſententiis, quibus potiſſimùm ſtyli gravitas conſtat: hæc autem ſunt propoſitiones quædam abſolutæ continentes aliquod receptiſſimum apud Sapientes, vel præceptū aliquod ad mores ſpectans, & hæ poſſunt efferri per varias figuras, ùt: *O ſera ſemper gaudia, &c.* &, *quid ſtet in terris? Nihil, niſì ſola Tellus. Fixa quæ vulgus vocat, errant, trahuntur, fluctuant, nunquam ſemel eadem, aut ibidem.* Frequentior tamen modus eſt per formulam abſolutè aſſerentis aliquid, ùt: *Oportet hominem ad hoc, ut habeat argumenta ſperandi, aut ſemper eſſe felicem, aut ſæpe miſerum.*

Aliquando ſententia continet rationem, & cauſam illius, quod aſſeritur, & aliquando quidem unam, ut cùm dicimus: *Legitima animorum menſura ſola tolerantia eſt; ſola enim*

calamita

calamitas hominem palpare non novit. Aliquando verò continet plures rationes, & causas, ùt cùm dicimus: *sive felicitas venefica sit, sive sopor quidã feralis, sive perniciosa navigationi nostræ malacia, experientia docet felicitatem animos enervare.*

Locus proprius sententiarum est in fine argumentorum, ubi conclusimus aliquid, & per sententias quodammodo exultamus in victoria. Aliquando etiam cùm asseveramus aliquid spectans ad mores, & versamur in re, quæ trita videri potest, nisi eam per sententiam attollamus quodammodo, & nobilitemus: quod observandum diligenter, ùt si loquaris de damnis divitiarum, res satìs trita est, nisi eam per sententiam asferas, & dicas: *Auream si mentem habueris, ubi ad aurum accesseris, plumbeam reportabis; hoc facilè capiuntur hamo mortales; plures auro periere, quàm ferro,* & hæc quoad gravitatem.

Eruditam verò elocutionem faciunt ea omnia, pro quibus tradidi rationem parandi ſylvam, & ſunt Proverbia, Fabulæ, Hiſtoriæ, & alia hujus generis, in quibus tamen nimij eſſe non debemus, nè videamur, pluſquam par eſt, affectare opinionem eruditionis.

Eruditam etiam faciunt orationem alluſiones ad Hiſtorias, & Fabulas, in quo genere excellit potiſſimùm Tragicus, & alii Poëtæ, inter quos Statius, ùt in minis Tydei ad Etheoclem poterat dicere ſimpliciter parùm illi profutura Thebana mœnia, quod longè elegantiùs expoſuit per alluſionem ad fabulam. *Reddes, ingeminat, reddes, non ſi te ferreus agger Ambiat, & triplices alio tibi carmine muros Amphion auditus agat, &c.* Sed ſimilia paſſim occurrunt; cavendum ſolùm, nè alluſiones hujuſmodi ſtant ad hiſtorias adcò reconditas, ut nonniſi ab eruditiſſimis intelligantur.

tur. Eruditio autem paratur potissimũ optimorum lectione librorum.

Comparationes, & similitudines fieri possunt cum rebus vel naturalibus, vel artificialibus, vel cum historijs, & proprietatibus gemmarum, montium, lacuum, &c. hæc enim omnia faciunt maximè ad eruditionẽ.

Cavendum potissimùm, nè extra rem afferantur hujusmodi ornamenta, sed curandum, ut videantur quodammodo nata cum rebus; in quo genere mirum est, quàm excellat Marcus Tullius. Sed in hoc etiam usus te plura docebit, ut sæpe monui.

OBSERVATIO ULTIMA:

De argutiis, & variis earundem generibus.

ARgutia, quam tantopere diligit ætas hæc nostra, nihil aliud est, quàm dictum quoddã acutum, seu formula quædam dicendi à communi ratione valde remota,

Christo in horto; *Alter Alcides hortos ingressus, non ut sumeret, sed ut absumeret Mala.* Tota enim argutia est in illo æquivoco , *Mala.*

Tertiò aliquando argutia tota sita est vel in traductione , vel in annominatione, & affinitate vocum , in quo genere cavendũ, nè nimii simus; hoc enim proprium est styli puerilis. Ità dixi de Gregorio Thaumaturgo, cum montem movit, ut obstinatum converteret; faciliùs moveri sæpe montes , quàm mentes expertus. Quod genus familiare satìs & tritum est.

Quartò aliquando argutia tota fundatur in analogia aliqua cum historia, vel fabella, ùt cùm in Genethliaco Principis Hyacinthi nati post bellorum, & pestilentiæ tumultus dixi *Margaritas in India nunquam nasci majores, quàm cùm graviora tonitrua, atrocioréque præcesserint tẽpestates, tradidit Athenæus; ut proinde*

ac quem post tot bellorum, ac pestilentiæ damna Hyacinthum accepimus, nō nisi maximum reputem. Ubi est Analogia illa Hyacinthi ad margaritas, & pestilentiæ ad tempestates: sed hujusmodi passim occurrent, præsertim in panegyricis.

Quintò aliquando argutiæ consistunt in eo, quòd, ubi dixerimus aliquid, subjicimus seu conditionem aliquam, seu quid aliud, quod destruat quodammodo totum id, quod dixeramus, quod fit per particulas illas, si, vel nisi; ùt cùm dixi de S. Basilio; *qui tempore famis se venalem proposuit, ut corraderet indè pecunias in subsidium pauperum* [*Venalis omnibus, si pretium habuisset*] & de Sancto Chrysostomo: *Vir in omnibus aureus, nisi quod avaris placere non potuit*: & de S. Augustino. *felix Africa, si crebriùs hujusmodi monstra proferres.* Et quemadmodum dixi superiùs, apposita illa, quæ quodammodo

do rem videntur destruere; cui ap-
ponuntur, & tamen illam adhuc me-
liùs, & elegantiùs explicant, habent rationem argutiæ; & hæ propriè sunt reflexiones, quia super idipsum, quod diximus, cogitationem reflectimus, & retorquemus.

Sexto aliquando, & ut plurimùm argutiæ reddunt causam inexspectatam alicujus effectûs. Causæ autem sunt quatuor, ex quibus etiam quatuor argutiarum species sunt sub hoc genere. Nobilior, & communior est, cùm reddimus causam aliquam tanquam finalem, ità tamen ut finis ille videatur potiùs exegisse operationem contrariam, ùt cùm de Nerone dicimus, *Patriam incendit, ut exstingueret*. In Elogiis invenies plura in hoc genere, ad quod illas etiam argutias reduxerim, quæ fiunt à negatione finis, qui videri poterat esse causa propria illius actionis, ità dixi de S. Apollinari: *cæcis oculos reddens*,

cùm

cùm tamen videri minimùm vellet. Finis enim hujus redditionis oculorum videri poterat esse, quòd videri à pluribus vellet; & hæc negatio valet in aliis causis. Aliquando autem à causa formali ducitur argutia, ùt cùm dixi de S. Thoma Cantuariensi: *Aulæ jam gravis, quòd levis esse nesciret.* Aliquando ab illa, quæ est quodammodo materialis, ut de S. Petro, *Fidem suam fluctuare passus in mari, quia se Petram meminerat, mergi metuens.* Aliquando etiam ab efficiente, ùt si dicas de Phaëthonte: *Fabulas illustravit, quia mundum incendit.* Alia exempla notare poteris præsertim in elogiis, & in Panegyricis Plinii, Pacati, & aliorum.

Septimò, aliquando, & frequentiùs argutiæ erunt ex oppositis. Constat autem ex logicis quatuor esse oppositorum genera, alia enim opponuntur Relativè, & sunt illa, quorum

rum unum infert aliud, ùt Pater Filium, Dominus Servum, Major Minorem, Princeps subditum. Magister discipulum, & in verbis Discere, Docere, Imperare, Parere, & his similia; à quibus frequentissimè ducuntur argutiæ: ità dixi de S. Athanasio; *Antonii magni discipulus, nescias an plura didicerit, an docuerit*; & de Virgine Deipara dicere potuimus: *Nunquam se magìs omnium Dominam probans, quàm cùm se DEI fateretur ancillam, &c.* Opponuntur alia Privativè; & sunt illa, quorum unum dicit privationem alterius, ùt mors vitæ, cæcitas visionis, rectitudo obliquitatis, & in verbis etiam creare, destruere, mori, vivere. Per hos terminos ità oppositos admirabiles sunt argutiæ, ùt cùm dixi de Dionysio Areopagita: *Mori nesciens, quòd tam bene vivere didicisset.* Alia opposita sunt contraria positiva, & sunt illa, quæ invicem se expellunt ab eo-

dem

dem subjecto, ùt calor frigus, senectus pueritia, amare odisse, servire liberum esse, avaritia prodigalitas, &c. & per hæc opposita frequentiores fiunt argutiæ, & contraposita, quæ tantopere faciunt ad nobilitandam orationem, & aliquando quidem in uno periodi membro est unum tantùm oppositum cum alio, aliquando duo, aliquando tria, vel plura, quæ sibi invicem, & ex adverso respondent, ut cùm dico, *securitatem, quam daret aliis, rapuit sibi*: opponuntur enim dare rapere, aliis sibi, quæ sunt duo opposita: unum verò tantùm in hoc, quod dixi de Juda: *semel prodiga extitit avaritia, inexhaustum unica effusione liguriit ærarium*. Aliquando plura, & plura, ùt in exemplis, quæ passim occurrunt, licet advertere, in eo præsertim de S. Joanne Chrysostomo: *Ioannes eloquentiâ aureus, tolerantiâ ferreus; pretiosior fortasse, quòd ferreus, quàm*

quòd

quòd aureus: nesciat ubi cœperit esse sanctissimus, aut quando desierit. Ubi vides lusum inter aureum, & ferreum; incipere, & desinere, &c. De aliis oppositis non habeo quidquàm peculiare. Postremò nonnullæ argutiæ consistunt in disparatis terminis, qui tamen debent continere vel aliquem modum elegantem, vel aliam argutiam, út patet ex his, de quibus suprà. Hujusmodi est illud D. Hieron. *Intelligeres illum non emori, sed emigrare, mutare amicos, non relinquere.* Alia multa philosophari possem circa argutias, si suppeteret otium, sed laborem hunc peritioribus relinquamus. Moneo tantùm eas plerumque consistere in modo proponendi, quem nonnisi ingeniosissimi assequuntur.

De figuris harmonicis dicerem aliqua, nisì per exercitationem citiùs, & certiùs, quàm per præcepta, styli refrectionem parari longa me experientia

rientia docuisset. Pro inveniendis argutiis juvat quàm maximè considerate circunstantias rerum, earundem causas, & effectus, & alia adjuncta, & relationes ad res varias, eo modo, quo docui inveniendas metaphoras; qui enim hæc omnia percurret, uberem argutiarum materiam inveniet. Et hæc pro moduló meo paucis adnotâsse sufficiat; cæterùm ingenio destituti has observationes non attingent; sinè ingenio enim vel ipsæ Aristotelis præceptiones prorsus inutiles sunt.

CONCLUSIO
Totius Opusculi.

HÆc habui, quæ monerem circa praxim nobilissimæ facultatis. Juvat hic tantùm paucis assignare, quas partes habeant peculiares quædam orationes, ut sunt funebres, Genethliacæ, &c. quæ utilia etiam erunt pro operibus poeticis.

In Epithalamio naturæ instituturi de nuptiis, affinitatis ingens bonum, sponsi, & sponsæ ætas, genus, & cæteræ dotes celebrandæ sunt. Avertenda deinceps discordiæ mala, vaticinandum de liberis, & eorum virtutibus, &c. ornandum verò epithalamium ritibus antiquis, fabulis moratis, &c. Genethliacum continet duo, auspicia, & laudes parentum: ego verò ipsas etiam parentum laudes reduxerim ad auspicia, quæ sumuntur à loco, ubi quis nascitur, à tempore, à die, ab iis, quæ præcesserunt, ab iis, quæ subsequuntur.

In funebri oratione initium ducitur à dolore orbitatis, quem Civitas, vel Familia, vel ordines alii ceperint. Si adolescens; dicemus illa, quæ de illo erant in spe, si non suppetant alia, quæ fecerit. Si verò sit natu grandior; consule ea, quæ diximus de Propositionibus in exornativo, & de amplificationibus in eodē genere.

Euchariſticum, & gratiarum actio duas habet partes.

Prima ornat beneficium à pretio ipſius, à perſona, quæ dedit, ab ea, quæ accipit, à modo dandi, à difficultatibus ſuperatis, &c.

Alia pars reddit quodammodo beneficium pollicitatione officii, recordatione, confeſſione indignitatis. Habes exempla in Tullio poſt reditum ad Quirites, & ad Senatum, & in Panegyrico Auſonij ad Gratianum.

Aliud eſt Euchariſticum, in quo gratulamur illi acceptam dignitatem, vel imperium, &c. commendabitur eorum deſignatio, quâ omnibus prælati ſunt ob merita, quæ commemoranda; deinde attendenda, quæ præceſſerint, quæ ſint ſecuta, Comitia, Suffragia, Locus, Tempus, Dies, Occaſio, & alia, quæ in Pacato, & Plinio licet obſervare.

Paranymphæa, & dedicationes librorum tribus rebus, velut gradibus, aſſurgunt,

aſſurgunt, occaſione dedicandi, quæ vel ſumitur ab officio dedicantis, vel ejus, cui dedicatur, dignitate, &c. rei dedicatæ explicatione, & excuſatione, poſtremò commendatione, additâ fidei, æternique obſequij conteſtatione.

Altera Paranymphæa, quibus ſiſtuntur initiandi laureâ Doctores, vel admittendi in curiam, principio poſſunt habere aliquid deſumptum à ritibus antiquis gladiatorum, militum, flaminum; ſecunda pars ſcientiæ, cujus inſulis ornandus eſt, vel curiæ continet laudes. Poſtrema pars eſt ejuſdem veluti commendatio, & Sacramentum. Vide Ennodium Oratione 10. Omitto alia communia omnibus laudationibus, pro quibus habes ſupellectilem ſatìs amplam in primo indice chori poetarum latinorum.

Præfationes Scholaſticæ, & Academicæ, quales eſſe poſſint, habes

rum

tum ex Prolusionibus Famiani, tum ex Allocutionibus Guinisij. In iis lepidum, & festivum est dicendi genus, descriptiones crebriores, & amœnæ, stylus planior, & acutus, proverbia multa, denique omnia, quæ ad ornatum faciunt. In cæteris cum orationibus ferme coincidunt. Stylus Epistolarum pedestris est, & imitatur familiarem modum, quo utimur cum amicis præsentibus: sed omnia velle persequi, præter institutum est, & infiniti penè laboris. Usus te plura docebit. Meminerimus, oportet, eorum, quæ monuit Cyprianus lib. 1. exercitatione, imitatione, & longo scribendi usu difficillimam hanc facultatem parari. Hæc sunt, quæ in Auditorum meorum gratiam, quibus omnia debeo, studui tumultuario opere complecti ad majorem illius gloriam, qui vel linguas infantium facit esse disertas.

OBSERVATIONUM INDEX.

X. Circa

XXIII.

FINIS.

